DE ROMANORUM INDOLE E LITTERIS COGNOSCENDA

P. C. DE BROUWER.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, MCMXI.

DE ROMANORUM INDOLE E LITTERIS COGNOSCENDA.

DE ROMANORUM INDOLE E LITTERIS COGNOSCENDA.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI **A. A. NIJLAND,** PHIL. NAT. DOCT. ET IN FAC. PHIL. NAT. PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

PETRUS C. DE BROUWER,

E PAGO HILVARENBEEK.

DIE XIV MENSIS DECEMBRIS ANNI MCMXI HORA IV.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, MCMXI.

Typis J. B. Wolters.

Opusculum hoc rerum saltem novitate fore ut nonnullorum animos alliciat attrahatque magnopere spero. Tenuit me argumentum quod praeter res antiquas res quoque recentissimas attingeret, quae mihi praesertim cum Latine conscribere disputatiunculam oporteret, molestias atque difficultates haud exiguas exhibuerunt. Quodsi compluribus locis locutiones, quibus cum Ciceronis lingua nihil omnino commune est, iudicibus idoneis occurrant, aequi ac benevoli magnam earum partem argumento ipsi assignare velint!

Laudibus aliquem efferre nec meum est nec fructuosum, at tamen ab hoc opusculo tuum nomen, clarissime Damsté, abesse nolo, quippe cui neque opera tua defuerit.

Valeat Academia, valeant scholae, quas nulla mihi umquam delebit oblivio.

INDEX.

PRAEFATIO.

In psychologiae disciplina illa investigandi via ac ratio haud ita diu iam vivit vigetque, quae *experimentalis* fere dici solet. Wundt, vir de ea disciplina optime meritus, methodum illam, quae quidem in psychologia adhibeatur, physicae cedere iure contendit[1]). Causa perspicua est. In quaestionibus psychologicis ipse homo est qui observat idemque qui observatur; homo ipse igitur et *sub*iectum et *ob*iectum simul huius disciplinae evadit.

Itaque cum subiectum, quod observat, et obiectum, quod observatur, per ipsum observandi tempus saepe mutetur atque de statu in statum identidem transeat, id quod fere fieri certo scimus, luce clarius est molestias minime spernendas veri inquisitioni haud raro inde exoriri atque impedimenta nasci posse innumerabilia.

At tamen methodus physica psychologiae hodiernae exemplo fuit quippe quae eadem inquirendi media adhiberet, quae quidem sunt:

experimentum, h. e. illa observandi ratio, in qua quodcumque investigationem perturbare possit, ad hominis observantis arbitrium excluditur,

observatio pura, scilicet earum rerum quae in ordinario rerum cursu sponte se offerunt[2]).

---

1) Wundt, Grundriss der Psychologie[9], p. 24 sqq.
2) Chwolson, Lehrbuch der Physik, erster Teil, p. 3.

Experimentum in investigandis iis rebus quae *fiunt* (verschijnselen, Vorgänge) adhiberi solet; *observatio pura* in investigandis iis quae *sunt* (voorwerpen, Gegenstände) locum suum obtinet.

In rebus autem psychologicis praecipue nobis experimento utendum esse videtur, auctore Wundtio, qui in hac materia, ut psychologi Germani generatim, experimentum pathologicum neglegit. Rerum pathologicarum magister est Pierre Janet, psychiater Parisiensis [1]).

Idem Wundt docet, observationem puram suum obiectum habere eas res psychologicas, quae sunt: lingua, mythologia, mores. Harum rerum tractatui post Steinthal et Lazarum nomen „Psychologiae Gentium" (Völckerpsychologie) imposuit [2]).

Acturus sum de lingua Latina atque de ea quidem qualis se ostendit in mutationibus notionum et in proprietatibus aliis, quo facto ex iis quae demonstravero, alia quaedam deducere conabor.

Quamquam pathologia usui esse potest, quod Jac. van Ginneken egregie demonstravit in libro, cui titulus „Principes de Linguistique psychologique", in hac dissertatione ea non nisi rarissime utar. Observatio pura plerumque mihi sufficiet.

Celebre est illud Heracliti: *Ψυχῆς πείρατα οὐκ ἂν ἐξεύροιο, πᾶσαν ἐπιπορευόμενος ὁδόν· οὕτω βαθὺν λόγον ἔχει* [3]). Quod quamvis verum sit, hisce demum ultimis temporibus operationes animi multimodis viis ac rationibus investigatae sunt atque animum quoque certis ac definitis legibus subiectum esse demonstratum est. Quae quidem leges haud ita simplices sunt, ut actus animi semper clare pateant, at tamen ordo et constantia negari non possunt. Quidquid viri docti qui non nisi de rebus grammaticis cogitare solent, affirmant, leges

---

1) P. Janet, Névroses et Idées fixes. — L'Automatisme psychologique. — Les Obsessions et la Psychasthénie.

2) Cf. W. Wundt, Indogermanische Forschungen 1911, pag. 205 sqq.

3) Diog. Laërt. IX. 7.

psychicas non minore constantia quam leges physicas effectus suos producere in aperto est.

Id autem sic intellegi volo: in psychologicis inquisitionibus saepius quam in physicis inveniuntur quae speciem exceptionis prae se ferant. Sed re bene perspecta adesse apparebit effectus plurium legum quae certant inter se. Quamquam effectus non est huius singularis legis quam quis fortasse intuetur, tamen eventum certarum ac definitarum legum esse posse quis est qui neget? Ut aliis verbis dicam, scientiae meae, non rei ipsius exceptio est.

Qua re ut certa praemissa ac statuta conclusio patet, nos omnium rerum humanarum causam internam persequi posse, modo rerum factorumque psychologicorum claram et perspectam speciem ceperimus. Concedo igitur, „fines animi" procul esse, investigationem interdum esse intricatam, sed observantes atque inquirentes aliquando lumen splendescens videmus, quod facta linguistica illuminare eorumque causas nobis patefacere possit.

Ut ordine procedam, quaedam psychologica praemitto; deinde proponam semasiologica ut denique id quod ad aestimandam populi Romani psychen mihi quidem magni momenti esse videtur, inde deduci posse demonstrem.

I. PARS PSYCHOLOGICA.

DE PHANTASMATIS.

1. Quod sensibus percepimus, nos non transit, sed in nobis vestigia relinquit. Unde postea res extermas iam dudum praetergressas refingere, immo variis modis coniungere ac transformare nobis licet.

Facultatem illam refingendi *imaginationem* sive *phantasiam* dicimus, et iis quae producuntur vel repraesentantur nomen imponitur *imaginum* vel potius *phantasmatum*[1]). Recte S. Thomas Aquinas dicit[2]): „Ad formarum sensibilium retentionem aut observationem ordinatur *phantasia* sive *imaginatio*, quae idem sunt: est enim phantasia sive imaginatio quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum."

Phantasmata autem varia quae non nisi a sensationibus procedunt, cum reviviscunt, ab illis sensationibus natura distincta sunt, ita ut et in multis aliis rebus reapse se ut phantasmata indicent et plerumque unum phantasma fiant ea quae plures sensus in nos induxerunt.

Colorem rubrum e. g. cum definita vehementia mihi fingere possum necnon cum gaudio quod visus mihi parit. Itaque phantasma est totum quoddam psychicum in me iterum productum eodem modo quo antea factum est.

Luce clarius est, fieri posse ut phantasma valde multiplex ac complicatum sit. Quod nemo non perspiciet, si phantasma quod aliquo temporis puncto in mente versetur, quasi in membra discreverit. Tale

---

1) Inde ab hoc loco tantum posteriore termino „phantasma" usurus sum.
2) 1. 2ae qu. 18. art. 4.

est phantasma lautumiarum Syracusanarum, quod Cicero tamquam in partes dissecat hisce verbis [1]):

„Opus est ingens, magnificum, regum ac tyrannorum; totum „est e saxo in mirandam altitudinem depresso et multorum operis „penitus exciso; nihil tam saeptum undique, nihil tam tutum ad „custodiam nec fieri nec cogitari potest. In has lautumias, si qui „publice custodiendi sunt, etiam ex ceteris oppidis Siciliae deduci „imperantur."

Similiter unum quoddam totum psychicum, urbem Syracusas, in animo habebat. At illud totum multiplex esse locus, ubi egregie eam depingit, satis superque demonstrat [2]):

„Et situ est cum munito tum ex omni aditu vel terra vel mari „praeclaro ad aspectum, et portus habet prope in aedificatione „amplexuque urbis inclusos; qui cum diversos inter se aditus „habeant, in exitu coniunguntur et confluunt. Eorum coniunctione „pars oppidi, quae appellatur Insula, mari diiuncta angusto, „ponte rursus adiungitur et continetur. Et tanta est urbs, ut ex „quattuor urbibus constare dicatur." (Quas urbis partes deinde fuse describit).

Phantasma multiplex urbis Syracusarum in Ciceronis animo haerens parum accuratum fuisse neque Ciceronem omnes illas partes subtiliter descriptas in mente habuisse non est quod notem. Tum demum partes illae phantasmatis, quasi latentes antea, acriter reviviscunt, cum deinceps in mediam conscientiam (bewustzijn, Bewusstsein) admoventur. Unde haec est distinctio maxime sub oculos cadens inter phantasmata et perceptiones sensuum, ut phantasma semper, et, ut ita dicam, natura sua minus accuratum sit quam perceptio.

2. Investigans atque inquirens non possum non videre, phantasmata

---

1) in Verr. V. 27.
2) in Verr. IV. 52, 53.

cuncta a sensuum perceptionibus derivari, quippe qui materiam e qua phantasmata ficta sunt, omnem in rebus externis inveniam.

Itaque iusto iure „residua perceptionum" dicta sunt. Sed aliud quoque conscientia mihi dictitat, scilicet phantasma a re percepta prorsus diversum esse. Recte enim atque acriter internosco praesens vividumque nescio quid quod perceptioni inhaeret, et incertum vagumque lumen quod phantasma circumfulget. Quodsi quis discernere inter haec duo iam non potest, *hallucinationi* quae dicitur, obnoxius est.

3. Quamquam hucusque tantum de obiecti externi phantasmate sermo fuit, etiam verbi alicuius phantasma exsistere posse clare patet. Nihilo minus huic rei paululum insistere utpote in tractatu de rebus linguisticis, ergo de verbo agente, haud ab re esse arbitratus sum.

Phantasma verbale (woord-voorstelling, Wort-vorstellung) e quattuor elementis constare David Hartley iam saeculo decimo octavo p. Chr. n. intellexisse videtur[1]).

Phantasma verbale quadruplex esse iam dubium non movet natura phantasmatis semel bene perspecta, et casus pathologici *aphasiae*, *surditatis verbalis*, *alexiae*, *agraphiae* rem confirmant atque illustrant. Quae cum ita sint, distinguere licet 1⁰ phantasma *orale*, h. e. id quod in homine relinquitur, quando verbum semel aut saepius elocutus est: est igitur motuum qui ad enuntiandum verbum necessarii sunt repraesentatio; 2⁰ phantasma *auditivum*, h. e. quod, cum semel aut saepius verbum audivimus, relinquitur: est sonorum repraesentatio; 3⁰ phantasma *visuale*, quod verbi prius oculis lecti residuum est; 4⁰ phantasma *graphicum*, quod in me restat ex verbo scripto: repraesentatio motuum manus tale verbum scribentis est.

Gentes barbaras phantasmatis visualibus et graphicis carere manifestum est; sed animadvertendum est, de maiore parte populi Romani

---

1) De omnibus quae hic de phantasmate verbali dicuntur, cf. Jac. van Ginneken, Principes de Linguistique psychologique, p. 1–21.

idem valere vel ipso Latinitatis aureae tempore, nedum aetate archaïca.

Nec phantasmata quae modo dixi, in hominibus omnibus aeque fortia sunt, sed in alio alia vigore praevalent. Quae ex matris ore didicimus, eorum verborum phantasmata auditiva magis virentia ac florentia esse solent, quae vero schola et disciplina ad nos pervenerunt, ea verba phantasmata visualia et graphica magno pondere instructa fere praebent. Romanis aetatis aureae multa verba, quae nobis litteris tradita sunt, legentibus primo occurrisse, itaque vehemens phantasma visuale praestitisse probabile est. At non minus certum est, multorum verborum, quibus comoedi utebantur, phantasma auditivum iam pridem primum locum obtinuisse.

Ceterum de hisce rebus satis superque dictum est: ad aliud vitae psychicae elementum iam transeamus.

DE MOTIBUS ANIMI.

4. Antiquos non acute inter appetitum (streving) et motus animi (gevoel) distinxisse saepe dictum est. Amorem odium *πάθη* „passiones" dicebant, apud scholasticos vox „affectus" occurrit. Verum et antiqui et scholastici medii aevi duas tantum animi quasi regiones admittunt, quibus Joannes Damascenus nomen indidit *δυνάμεις γνωστικαὶ καὶ δυνάμεις ὀρεκτικαὶ*[1]).

Nec lingua ipsa appetitum et motus animi tamquam res diversas habuit. Sicut a verbo *volendi* derivatur quidem *voluntas*, sed etiam *voluptas*. Priscum verbum *laciendi* abiit in significationem appetitus in *illecebrae*, in motus animi in *delectatio*. *Libido* appetitum indicat, in *lubens* fortasse animi motum sentias.

Quae cum ita sint, neque Romanos neque philosophos medii aevi

---

1) De fide orthodoxa 1, 2, 22.

neque humanistas qui dicuntur motus animi e vita psychica ut elementum sui iuris extricasse equidem non miror.

5. Tandem philosophi recentiores motus animi obiectum singulare inquisitionis fecerunt, quin etiam animi facultatem esse duxerunt. Quam sententiam primus propugnavit J. N. Tetens († 1805).

Fautores opinionis post Kantium, qui trichotomiam: „vorstellen, fühlen, wollen" introducere conatus est, multi exstiterunt, et moratores in libris in usum scholarum nostratium editis etiamnunc tumultuantur [1]).

Quo minus autem rem ita esse fingamus et alia impediunt et hoc, quod motus animi obiectum verum non habere, sed nihil aliud quam status animi esse facile perspicimus. Unusquisque aliquatenus se ipsum introspiciens animi motus, qui semper quidem gradum quendam gaudii aut doloris prae se ferunt, *qualitates* esse *suas* immediatas statim intelleget. *Me ipsum* delectatum, dolore affectum *me ipsum* sentio; nec aliud quidquam ut delectatum sentire possum.

Non quidem nego, perceptiones quoque in me esse, sed *obiecta* harum perceptionum res sunt *externae* a me distinctae. In animi vero motibus *me ipsum* aliquo modo determinatum sentio.

Motus animi qualitates sunt *τοῦ* ego immediate vivendo transactae (doorleefd, erlebt); contra in perceptionibus aliquid percipio, quod conscientia immediata a me distinctum esse testatur.

Ut aliis verbis idem eloquar: quod percipitur, id mihi datur; et ipsum id quod mihi datur, experior; motus autem animi *in me* fiunt eosque immediate ut qualitates *τοῦ* ego sentio.

„Percipio" igitur significare tantum potest „percipio *aliquid*"; „delectationem" aut „dolorem sentio" vult „*me ipsum* sentio", scilicet delectatione aut dolore affectum.

Cum re exposita illud congruit quod recentis temporis investigationes pathologicae motum animi esse functionem conscientiae sui

---

[1]) e. g. *Prinsen*, Beginselen der zielkunde. *De Raaf*, De beginselen der zielkunde.

iuris quae dicitur, clare ostenderunt, cum hominis menti etiam post perceptionem non raro inhaereat.

6. Sed ne praetermittamus, motus animi in statu suo immediatae conscientiae satis confusos et quasi sublustres esse. Quos ut definiamus nobis non contingit priusquam praeterierunt; tum vero eos non iam immediate, sed ut qualitates *τοῦ* ego praeteriti, *τοῦ* non-ego huius temporis conspicio.

Quae res in quaestionibus linguisticis magni momenti esse videtur. Cum enim dico „dolore afficior", eius doloris non iam immediate mihi conscius sum, sed motum puncto temporis iam praeterito persensum respicio ac tamquam retro conspicio. Quod Theod. Lipps, professor Monacensis, vidit[1]) et ante eum Bergson vidisse videtur, cum de „deux aspects du moi" loquatur[2]). Nec S. Thomam Aquinatem ea distinctio fugit, quod patet ex verbis[3]): „Tristitia potest dupliciter considerari: uno modo, secundum quod est in actu, alio modo, secundum quod est in memoria".

Motus igitur animi sunt phaenomena *subiectiva* quae dicuntur. Unde concludere licet, multas et varias causas eos efficere posse, quin immo omnia quae subiectum immediate afficiunt, cum motibus animi misceri, qui pro suo quodque pretio phaenomena in scenam conscientiae inducunt, nempe quatenus subiecti interest. Haec res illustrat, impressionem unam eandemque diversis hominibus eodem tempore, immo etiam eidem homini diversis temporibus diversissimos motus animi efficere. Cum motus animi inter summam delectationem et dolorem extremum surgant descendantque, eorum gradus fere in infinitum variari possunt[4]).

---

[1]) Lipps, Vom Fühlen, Wollen und Denken, p. 1–5. — Leitfaden der Psychologie, p. 2–4.

[2]) Bergson, Les données immédiates de la conscience. Cf. etiam Vogt, Stundenbilder der philosophischen Propaedeutik: I Psychologie, p. 289. sqq.

[3]) 1a 2ae. qu. 32. art. 4.

[4]) Vogt, l. c. Rehmke, Die Seele des Menschen, p. 44.

7. Generatim dicere licet, motus animi *sponte* se offerre. Etsi interdum ab hominis voluntate dependet, utrum incitamentum affectionis adducatur an propulsetur, animi motus, simulac cunctae condiciones ad eos admittendos adsunt, arbitrio parere desinunt. Inquirendo atque investigando hoc ex eo emanare intellegas, quod motus animi necessariae ac cogenti appetitioni subiecti sunt. Quid vero? Vir doctus Van Ginneken in commentatione multis documentis instructa atque ornata et alia et hoc contendit[1], in nobis esse motionem animi quae sit sui iuris, coniugium appetitus sensitivi et animi rationalis, caecum quendam cui frigus acerbum ac cibus acerbus idem sit, qui in rerum exterarum intercursu surdus omnia non nisi subiective comprehendere possit.

Quidquid est, Lippsii opinio, motus animi fere esse immediatam ac subiectivam sui ipsius sententiam, miro modo factis linguisticis fulcitur, necnon coniungi potest cum variis et a variis fontibus procedentibus motuum animi divisionibus quas viri docti Wundt, Ziehen, Rehmke proposuerunt.

DE ASSOCIATIONIBUS IDEARUM.

8. Phantasmata non separatim in mente nostra exsistunt, verum quasi anuli malleo in catenam tunsi inter se iuncta sunt. Quid enim fit? Cum phantasma quoddam reviviscit atque in conscientia denuo apparet, complura alia pone se trahere solet. Phaenomenon istud phantasmatum rursus apparentium eodem ordine quo in memoria disposita sunt, quod phaenomenon, nisi catena violenter interrumpatur, ultro procedit, nomine novicio *associatio* dicitur[2].

Si quis phantasmatis frena det, miro modo in conscientiae scena partes agant et de associationis via altera in alteram transeant. Id

---

[1]) Studiën, j.g. 42. d. 74. p. 578.
[2]) Mercier, Psychologie, p. 217.

quod directe aliquod phantasma provocat, efficit ut alia quoque indirecte excitentur et motus animi surgant.

Sicuti Cicero ordinem phantasmatum atque animi motuum depinxit resurgentium, cum ei e provincia decedenti Rhodi nuntius de morte Hortensii allatus esset[1]:

„Et amico amisso cum consuetudine iucunda tum multorum „officiorum coniunctione me privatum videbam, et interitu talis „auguris dignitatem nostri collegii deminutam dolebam; qua in „cogitatione et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in „quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum „ab eodem."

Alio loco Scipionem Aemilianum narrantem facit[2]:

„Memini me admodum adulescentulo, cum pater Aemilius „Paulus in Macedonia esset et essemus in castris, perturbari „exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito „candens et plena luna defecisset. Tum C. Sulpicius, doctissimus, „ut scitis, homo, cum legatus noster esset anno fere ante quam „consul est declaratus, haud dubitavit postridie palam in castris „dicere, nullum esse prodigium idque et tum factum esse et „certis temporibus semper futurum, cum sol ita locatus fuisset, „ut lunam suo lumine non possit attingere. Rem magnam asse„cutus est, quod hominibus perturbatis inanem religionem timo„remque deiecit."

9. Sed satis iam exemplorum est: ad manum ubique iacent. Res iam inde ab antiquissimis temporibus nota fuit. Scripsit enim Aristoteles[3]: *τὸ ἐφεξῆς θηρεύομεν νοήσαντες ἀπὸ τοῦ νῦν ἢ ἄλλου τινὸς, καὶ ἀφ᾽ ὁμοίου ἢ ἐναντίου ἢ τοῦ σύνεγγυς· διὰ τοῦτο*

---

1) Brutus, 88, 301, 1.
2) De rep. I. 15. 23.
3) De mem. et reminisc. c. 2.

γίνεται ἡ ἀνάμνησις· αἱ γὰρ κινήσεις τούτων τῶν μὲν αἱ αὐταὶ, τῶν δ᾽ ἅμα, τῶν δὲ μέρος ἔχουσιν, ὥστε τὸ λοιπὸν μικρὸν ὃ ἐκινήθη μετ᾽ ἐκεῖνο.

Quem locum Aristotelis explicans S. Thomas Aquinas dicit[1]): „Primo igitur concludit (Philosophus) ex praemissis, quod, ex quo unus motus sequitur post alterum vel ex necessitate vel ex consuetudine, oportet, quod quando reminiscimur, moveamur *apprehendendo illo motu* qui consuevit esse post primum, quem scilicet motum intendimus reïnvenire reminiscendo, quia reminiscentia nihil aliud est quam inquisitio alicuius, quod a memoria excidit. Et ideo reminiscendo venamur, id est inquirimus id quod consequenter est ab aliquo priore, quod in memoria tenemus. Sicut enim ille, qui inquirit per demonstrationem, procedit ex aliquo priori quod est notum, ex quo venatur aliquid posterius quod est ignotum, ita etiam reminiscens ex aliquo priori, quod in memoria habetur, procedit ad reïnveniendum id quod ex memoria excidit. Hoc autem primum a quo reminiscens suam inquisitionem incipit, quandoque quidem est *tempus aliquod notum*, quandoque autem res aliqua nota."

Etsi de nomine associationis mentionem non facit, rem saltem quin in se inspexerit dubium non est. Immo si vocem *motus* urgeamus, associationis phaenomenon non ut psychologi recentiores nimis exiguis phantasmatum finibus circumdedisse, verum etiam ad motus animi extendisse videatur.

Cui rei paululum insistere lubet.

Duae associationis leges vulgo proponuntur: *similitudinis* et *experientiae.* De his legibus cum disserunt, psychologi non pauci tantum de phantasmatum serie loquuntur, tamquam si associatio nihil nisi phantasmata complectatur. Melius autem loquimur de *factis psychicis*, cum hoc nomine *animi motus* quoque contineantur qui etiam associatione excitari possunt.

1) De mem. et reminisc. lect. 5.

Ergo in re nostra, qua de verbis tantum sermo est, non solum fieri potest ut repraesentatio rei vel facti praeteriti phantasma verbale etc. necnon motum animi reducat, verum etiam ut *motus animi reducat phantasma reale* ut nunc loquimur, *aut phantasma verbale* quocum aliquo modo coniunctum sit.

Ad propositum nostrum hoc ultimum maximi ac singularis momenti est. Quousque haec res progredi possit fuse disserere nolo. Partim colligi iam potest ex eo quod habitus vultusque expressio motus animi definitos provocant et sunt qui motus animi in canendo ac recitando corporis habitum certum ac definitum requirere experimentis constare contendant[1].

Quae hucusque a me exposita sunt, rerum psychologicarum, quae legentes in linguistica de quibus hic est disceptandum apte introducere possunt, summa est. Plura in parte linguistica locis suis singillatim narraturus sum, quo disputatio mea magis perspicua sit.

---

[1]) Vide ad huius opusculi § 30 not.; et „Anthropos", Internationale Zeitschrift für Völcker- und Sprachenkunde, vol. VI. p. 147 sqq., ubi Dr. Ottmar Rutz lepide disseruit de „Der Gemütsausdruck als Rassendenkmal."

II. PARS LINGUISTICA.

10. Sensim pedetentimque sententia percrebrescit, etiam animi motum res linguisticas producere. Iam aliquot anni sunt cum P. Cauer, vir doctus Germanus, passim in suis libris „Grammatica militans" et „Die Kunst des Übersetzens" lumine ingenii sui hanc partem linguarum veterum illuminavit. Atque in libro supra laudato [1]) vir nostras Jac. van Ginneken quantum animi motus in rebus psychologicis valerent fuse disseruit, ne de compluribus capitibus loquar quae in opere ponderoso Wundtii „Völckerpsychologie p. I et II Die Sprache" inveniuntur [2]).

Quibus libris lectis in mentem mihi venit, non tantum e psychologia deduci posse quae ad veterum linguarum indolem pernoscendam prosint, verum etiam e rebus linguisticis vicissim quaedam derivari licere quae psychen illam antiquam magis aperiant patefaciantque, de qua tam multa legimus, cogitavimus, perscrutati sumus, quae nihilo minus ne in dubia quidem luce sese etiamnunc ostendit.

11. Unde de animi motibus, quales e factis quibusdam linguisticis Latini sermonis in lucem prodeunt, inquisitionem instituere constitui.

Praemitto igitur quaedam de animi motibus, utpote singulari indicio quo populi alicuius ingenium perspicere nobis liceat.

Supra (§ 4—7) demonstratum est, praesertim e Th. Lippsii sententia, motus animi proprie activitatis cuiusdam perceptionem internam esse. Nullo autem temporis puncto homo se intra se

---

1) Principes de Linguistique psychologique.

2) e. g. Vol. I pag. 628 sqq., 640 sqq. Vol. II p. 271 sqq., 292 sqq., 318 sqq. etc.

agentem non sentit. Quae activitas cum obiecta animo obversantia mutari atque variari numquam desistant, transitus continuus de statu interno altero ad alterum esse videtur et semper quasi in fluxu ac refluxu est. Itaque de activitatis huius proprietatibus stabilibus ac constantibus sermo esse non potest, quippe quae veniant statimque recedant. Velut terror vel miratio rei subitae in animo non stant, sed praetereunt et tamquam parvi fluctus in animi aequor diffluunt.

At tamen in hac fluctuatione continua aliquid est quod per longius tempus maneat et globo cuidam actuum quasi *colorem* attribuat. Itaque de animi habitu (stemming, Stimmung) loqui possumus. Color autem iste, si generatim dicimus, vel delectationis vel doloris est.

Haec ommia cum functiones sint conscientiae et eae quidem sui iuris, etiam lingua exprimi posse a priori, ut dicitur, patet atque insuper e pathologia comprobari potest. Accidit enim, ut persona pathologica phantasma qualecumque verbo exprimere nequeat, et tamen delectationem vel dolorem quem istud phantasma movet, proferat atque emittat. Cf. Voit apud Wollf [1]).

12. Ex aliis rebus quae magis in promptu sunt idem efficere licet. Ut pueri cum sponte sua loqui incipiunt (decimo vel quarto fere decimo vitae mense), verba prima praesertim vota indicant et maiorem partem motus animi ac cupidines significant. Pueri cum verba arripere incohant, petere et rogare solent. Res notare eorum non interest, sed finis verborum est, ut cum Meumanno loquar, „die volitionale Seite der Gegenstände". Exempla leguntur apud Gauppium [2]). Neque tantum desiderium, sed motus quoque animi erumpunt. Ita exclamationes quales sunt „papa", „mama", priore tempore non significant: „is est pater", „ea est mater", sed emittuntur ad gaudium exprimendum quod eorum conspectus movet [3]).

---

1) Citatur apud. Van Ginneken, l. c. p. 127.
2) Gaupp, Psychologie des Kindes, p. 27.
3) ibid. Vide etiam Sully, Studies on Childhood [2], p. 162 sqq.

Concludere igitur licet: exsistit lingua animi motuum, cum phantasmata rerum evanuerunt; exsistit lingua animi motuum, etiamsi phantasmata illa permaneant. Neque est quod admirationem moveat, si phantasmata associationis legibus inter se iuncta esse atque insuper motus illos animi subiectivos comitari in memoriam nostram revocamus. Unde fit ut, cum verbum aliquod audimus, res significatae cum omnibus quae adiunguntur, animo nostro obversentur necnon delectatio aut dolor aut alius motus insurgat, quem talis res in nobis efficere soleat.

Luce clarius est, necesse non esse ut omnia ea coniuncta inter se aeque lucide ac clare in conscientiam nostram ingrediantur. Contra plerumque non aeque clara erunt, sed aliud in lucem vocabitur, aliud manebit in tenebris. Quod nimirum nemo est quin statim agnoscat.

13. At hucusque tantum de iis quae evocantur verbum aliquod *audienti* sermo fuit. Si vero in conscientia vel phantasma vel animi motus assurgat, quid fiet?

Ut unum verbum auditum multa phantasmata super conscientiae limina tollere potest, ita rursus singulare phantasma quod *super* conscientiae limen versatur, aliquando verbum petit, quod *sub* eodem limine est. Hoc autem verbum evocabitur quod cum phantasmate aliquo modo associatum sit, et quidem cum phantasmate vel animi motu fortissimo, h. e. quod hoc temporis puncto in *centro* conscientiae est. Hic premere velim, fiere posse ut *ipse motus animi*, non autem phantasma *verbum evocet in scenam conscientiae.*

Locum, ubi *verba figurata* quae dicuntur, oriuntur ac nascuntur, hunc esse non est quod notem. Praeterea multa alia hic investigationi patent. Sed quomodo pars totius phantasmatum compaginis cum animi motibus mixtae verbo adhibendo inserviat quaestio molesta atque intricata esse videtur, quam viros doctos nondum satis perscrutatos esse contendere ausim.

Quamquam res ita se habet, inquirentem atque investigantem quaedam eruere licet quae ad res linguisticas illustrandas apta esse

possint. Ita Van Ginneken, Lippsii sententiam amplexus, docte ac sagaciter de „sentiment comme cause de langage" egit [1]).

Mihi autem inquisitionem instituenti de populi Romani psyche cum regio paene non explorata se aperiat, tamen rei novitas magnopere arridet; atque ex tali re fructus percipi posse uberrimos Wilhelm von Humboldt, virum de linguarum studio optime meritum, minime praeteriit [2]).

Si quis psychologiam totam ad res linguisticas illustrandas atque elucidandas adhiberet, quam clarum lumen menti nostrae praeferret altum et profundum indagare semper cupienti. Et si quis omnia facta linguistica ratione psychologica perscrutari vellet, quam candido splendore eius populi indoles atque psyche nobis occurrerent et quasi lucerent! At regionem illam universam tam vastam tamque salebrosam perscrutari quis umquam possit?

Vel singula quaedam investigare opus arduum atque periculosae aleae plenum esse probe scio, cui ut vires meae quidem pares sint vehementer vereor. At tamen ipsa rei suavitas me, dubium quamvis minimeque mihi praefidentem, tandem induxit ut res varias ad linguam pertinentes, quae ad ingenium Romanum illustrandum saltem aliquid conferre posse viderentur, paulo altius repetere et pervestigare pro viribus meis conarer. Itaque ut iudices idonei laborem meum qualemcumque aequi bonique consulant, etiam atque etiam rogo, quos denique monitos velim, me argumentum meum ita dividere ut deinceps nonnulla expositurus sim:

1. de metaphoris Latinis.
2. de vi activa et passiva.
3. de translatione de sensu in sensum.
4. de adiectivis „magnus" et „multus".

---

1) l. c. p. 122–132.

2) Dicit enim: „Phantasie *und Gefühl* sind in der Sprache tätig, in deren Gestaltungen vor allem der individuelle Geist der Nationem hervortrete". Laudatur apud Wundt, Völckerpsychologie II, p. 430.

5. de verbis affectuum impersonalibus.
6. de interiectionibus.
7. de rerum naturae contemplatione.
8. de parallelismo membrorum.
9. de verborum lusu.
10. de metaphoris improprie dictis et de empathia.
11. de superbia, etc.
12. de alios irridendi studio.
13. (conclusio).

DE METAPHORIS LATINIS.

14. Quae § 11–13 disserui si vera sunt, inquirere num populus quidam praetermissis nominibus phantasmatum rerum externarum saepe motuum animi nomina adhibuerit res non parvi momenti mihi quidem esse videtur.

Talibus autem nominibus populus Romanus usus est et iis quidem frequentissimis.

Figurae verborum quibus Latini utebantur, ex hac observatione dilucidae erunt.

At pauca de metaphoris, de quibus hic agitur, praefanda sunt.

„La métaphore", Darmesteter[1]) ait, „applique le nom d'un objet à un autre, grâce à un caractère commun qui permet de les rapprocher, de les comparer. Elle agit de trois façons, en procédant toujours, comme la métonymie, par *extension* . . . . . Dans toute métaphore il y a deux moments. Quand le nom du premier objet appliqué au second, rappelle nettement à l'esprit l'image du premier, il y a alors une véritable figure de langage; puis quand, par oubli de la première image, on ne voit plus que le second objet, le nom devient alors adéquat à cet objet."

---

1) Vie des mots[5], p. 130 sq.

Iisdem fere terminis Van Helten[1]) utitur, qui insuper saepe verbum „actionis psychicae" in ore habet, quam minus recte perspexisse mihi quidem videtur. Similitudines haud ita manifestae sunt ut affirmare non dubitavit.

Richard quoque Volckmann[2]), minus quidem „psychice" sed eodem fere modo methaphoram intellegens, ait: „Der haüfigste und schönste und dabei allgemeinste Tropus, so dass sich die meisten übrigen im Grunde genommen als seine Unterarten betrachten lassen (!!), ist die Metapher, im allgemeinen ein *kürzeres Gleichniss*, bei welchem der zur Erlaüterung eines Begriffes herbeigehohlte Ausdruck für diesen selbst gesetzt wird. Die schönsten Metaphern sind diejenigen, durch welche empfindungslosen Dingen Leben und Bewusstsein beigelegt wird. In ihrer Anwendung ist Homer, wie für die übrigen Dichter, so auch für die Redner unübertroffenes Muster."

Quod ultimo loco dicit, forsitan multo altius fundamentum habeat quam ipse suspicatur et praeterea ex sua pharetra id non deprompsit; Aristoteles enim idem iam contendit[3]). Atque profecto in nota ad calcem paginae adscripta haec profert: „Dies bemerkt schon Aristoteles, der folgende Beispiele anführt:

---

1) Over de factoren van de begripswijzigingen der woorden, 1907, p. 10. Dicit: „Vier soorten van psychische werkzaamheid alzoo komen in aanmerking als de factoren, welke de tallooze begripswijzigingen in de taal hebben te weeg gebracht:

1⁰ de beperkte toepassing der oorspronkelijke of oorspronkelijker beteekenis.

2⁰ *metaphora*, d. i. *naamsoverdracht als gevolg van overeenkomst* of *gelijkenis*.

3⁰ naamsoverdracht van het kenmerk op het gekenmerkte.

4⁰ naamsoverdracht van het oorspronkelijke op het daaruit herkomstige".

Et paulo post, p. 13 sqq. de ea loquitur quasi de re unicuique iam perclara et motus animi una cum corporis motibus notat, tamquam inter eos aperta comparationis via sit. Res subtiles leviter perstringit nec quidquam explicat.

2) Rhetorik der Griechen und Römer ^{2} p. 663, in „Handbuch" von Iwan Müller.

3) Rhet. III. 11.

αὖτις ἐπὶ δαπεδὸν δὲ κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής λ 598.

ἔπτατ' ὀιστὸς Ν 588.

ἐπιπτέσθαι μενεαίνων Δ 126.

ἐν γαίῃ ἵσταντο λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι Λ 574.

αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμόωσα Ο 542.

Eodem fere modo M. Bréal dicit[1]: „La métaphore est l'apperception instantanée d'une ressemblance entre deux objets," et[2]: „La vue instantanée d'une similitude entre deux objets, deux actes, la fait naître."

15. Sed de iis infra plura dicam. Quid antiqui de metaphorae natura senserint primum videamus. Ante alios igitur Aristotelem, omnium philosophorum facile principem, audiamus. Qui Poët. 21 . 4: *μεταφορὰ δέ ἐστιν*, inquit, *ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ τοῦ γένους ἐπὶ τὸ εἶδος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ τὸ γένος, ἢ ἀπὸ τοῦ εἴδους ἐπὶ τὸ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον.*

Apertum est, eum non de metaphora notione angustiore sed latiore dicta, quae idem vult ac tropus, hoc loco loqui. Quam revera eius fuisse sententiam Hermogenes postea testatur. Unum illud *ἀνάλογον* ad eum tropum quem nos metaphoram dicimus, pertinet. Itaque quid Aristoteles de ista metaphora notione subtiliore dicta censuerit ex verbis patet quibus paulo inferius illud *ἀνάλογον* explicat.

Τὸ δὲ ἀνάλογον, inquit, *λέγω ὅταν ὁμοίως ἔχῃ τὸ δεύτερον πρὸς τὸ πρῶτον καὶ τὸ τέταρτον πρὸς τὸ τρίτον· ἐρεῖ γὰρ ἀντὶ τοῦ δευτέρου τὸ τέταρτον ἢ ἀντὶ τοῦ τετάρτου τὸ δεύτερον.*

Quae verba scribens Aristoteles res e geometria plana satis notas allegat. *Proportionem discretam* quae dicitur, in mente habet: A : B = C : D. Ipse exemplum affert: senectus : vita = vesper : dies.

Alio loco[3]) idem vult: *τῶν δὲ μεταφορῶν τετταρῶν οὐσῶν εὐδο-*

---

1) Essai de sémantique, p. 130.
2) ibid. p. 135.
3) Rhet. III. 11.

κιμοῦσι μάλιστα αἱ κατ᾽ ἀναλογίαν, ὥσπερ Περικλῆς ἔφη τὴν νεότητα τὴν ἀπολομένην ἐν τῷ πολέμῳ οὕτως ἠφανίσθαι ἐκ τῆς πόλεως ὥσπερ εἴ τις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλοι.

Et ex omnibus exemplis ibi allatis proportio quaedam erui potest. Quae verba viri tanti cum admirationem movendam nata esse videantur, operae pretium est animadvertere, fortasse in ipso homine metaphoram dicente revera talem proportionem menti praesto esse, atque Aristotelem de uno loquente – non de homine audiente cogitasse abs re non est. Quidquid est, substantiva tantummodo ei ante oculos fuerunt. De adiectivis enim metaphorice sumptis alibi [1]) tractavit. Sed nescio an quod de hisce dicit, sententiam eius nobis magis aperiat. Loquitur de viro bono qui *τετράγωνος* dicitur: Est metaphora; ambo enim „perfectum" significant. Hanc autem metaphoram improbat, quod *οὐ σημαίνει ἐνέργειαν· ἀλλὰ τὸ „ἀνθοῦσαν ἔχοντος τὴν ἀκμὴν" ἐνέργεια, καὶ τὸ „σὲ δ᾽ ὥσπερ ἄφετον" ἐνέργεια,* et deinceps exempla quae ex Homero Volckmann citat (cf. § 14 supra).

16. Scriptores rhetorici qui post Aristotelem fuerunt, sive magistrum non intellexerunt et tantum vocem *ἀνάλογον* amplificaverunt sive sententiam Aristotelicam falsam perspicere sibi visi sunt, proportionem in metaphora deseruerunt. Iisdem fere verbis quibus Gregor. Cor. [2]) utuntur, qui de sola similitudine loquitur [2]): *Τρόπος ἐστὶ λέξεως φράσις ἐκ τῆς καθ᾽ ἑαυτὴν ὁπωσοῦν ἰδιότητος μετατροπὴν εἰληφυῖα, διὸ καὶ τρόπος καλεῖται, παρείληπται δὲ ἤτοι χρείας ἕνεκα ἢ κόσμου περὶ τὴν φράσιν.* – Quae exposita fere eadem sunt ac Tryphonis [3]): *Τρόπος ἐστὶ λόγος κατὰ παρατροπὴν τοῦ κυρίου, λεγόμενος κατά τινα δήλωσιν κοσμιωτέραν ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον.* Quae ad verbum Charisius [4]) Latine reddidisse videtur: „Tropus

---

1) Rhet. III. 10.
2) Spengel. Rhet. gr. III. p. 215.
3) ibid. p. 191.
4) Keil. G. L. 1 1, p. 272.

est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem necessitatis aut cultus gratia."

Plures sententias ex aliis scriptoribus afferri posse veri simillimum est, quas ulterius indagare nunc non lubet. Satis superque demonstratum est e verbis auctorum citatorum, imaginem nec tropi nec metaphorae firmam constantemque fuisse et longissime afuisse a claro et lucido. Itaque deserta proportione illa Aristotelis auctores terminum generalem *τὸ ἀνάλογον* fere retinuerunt, istum terminum sibi dilucidum esse perhibentes, immo posteriores de industria proiecerunt. Dicit enim Quintilianus[1]:

„*Ἀναλογίαν* quidam a simili separaverunt; nos eam subiectam huic generi putamus. Nam *ut unum ad decem, sic decem ad centum;* simile certe est; et, *ut hostis, sic malus civis.*"

Et alio loco[2] iam nihil haesitans contendit: „In totum autem metaphora *brevior similitudo:* eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur."

Hisce ultimis verbis quid aliud quam *tertium comparationis* quod dicitur, metaphorae deësse contendit?

17. Verum et si fundatur in proportione et si similitudinis ratio fundamentum ponitur, utroque casu tantum natura metaphorae quasi externa conspicitur. Quintilianum rhetorem, logicae ac dialecticae fautorem, de metaphora nihil amplius scire equidem non miror, sed Aristotelem, philosophum subtilem, rem non altius repetiisse et solam superficiem strinxisse per se veri simile non esse videtur. Et re vera altius in metaphorae essentiam ac naturam penetrat, cum eas metaphoras pulcherrimas dicit quibus rebus vita carentibus vita et conscientia tribuatur. Atque melius et accuratius iam rem attingit, ubi ad verum propius accedens scribit[3]: *Παραλογίζεταί τε γὰρ ἡ*

---

[1]) Instit. Orat. 5. 11, 34.
[2]) ibid. 8. 6, 8.
[3]) Rhet. III. 7. *ὡς ποιεῖται* posui pro *ὥστ' οἴονται*, quod nullum sensum praebere videtur.

ψυχὴ ὡς ἀληθῶς λέγοντος, ὅτι ἐπὶ τοῖς τοιούτοις οὕτως ἔχουσιν, ὡς ποιεῖται, εἰ καὶ μὴ οὕτως ἔχει .... τὰ πράγματα οὕτως ἔχειν, καὶ συνομοιοπαθεῖ ὁ ἀκούων ἀεὶ τῷ παθητικῶς λέγοντι, κἂν μηδὲν λέγῃ.

Hic noster vidit illa quae motus animi dicimus, qui non vera ut vera proponunt loquenti homini ipsi, necnon motus animi in alios iniectos quos nomine Germanico „Einfühlung" nuncupamus.

Utinam Aristoteles rem altius perscrutatus esset neve metaphoram logica ratione explicasset! Non tam diu falsa opinio viguisset nobisque metaphoras traduxisset, a quibus natura abhorret.

Ne Quintilianum despicere videar, animadvertere decet, eum quoque hic illic partes quas motus animi in figuris agunt, perspexisse, e. g. ubi scripsit[1]: „Incipiamus igitur ab eo (tropo) qui cum frequentissimus est, tum longe pulcherrimus, translatione dico, quae *μεταφορά* Graece vocatur. Quae quidem cum ita est a nobis concessa natura, ut *indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur*, tum ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara proprio tamen lumine eluceat."

Usque in intima viscera nec Quintilianus nec ipse Aristoteles sane penetravit. Huius rei honorem recentia tempora iure sibi assumunt. In patria nostra complures homines critici saepissime motus animi ut sermonis figurati radicem indicarunt[2], qui quamquam, homines litterati ut sunt, plerumque demonstrationes philosophicas non adhibent, nihilo minus satis accurate de re nostra disputarunt.

18. Expresse et disertis verbis Theod. Lipps[3]) rem explanare conatur.

Ut exempla e lingua nostra afferam, si vir Romanus de siti libertatis loquitur, comparationem non instituit, sed re vera aliquid eiusdem

---

1) Instit. Orat. 8. 6, 4.

2) Cf. Kloos, Veertien jaar litteratuurgeschiedenis, praesertim pluribus locis Vol. I.

3) Das Selbstbewusstsein. — Empfindung und Gefühl.

naturae in se experitur ac si vere potum desideret. Etiam sitis physica semper cum aliquo desiderio coniuncta est; quin immo cum in vita cotidiana dicimus „sitio", non sensus sitiendi, sed ipsum illud desiderium praecipuum est. Ut aliis verbis dicam, in imaginum et motuum compagine super limen conscientiae ascendentium, cum sitio, desiderium potus in conscientiae centro est. Ex hisce omnibus apparet duplex vocis „sitis" significatio.

Vir Romanus identidem de „intentione animi" loquebatur; necnon adhibebat locutionem „tendere animum". In linguae eius thesauro invenitur dictum: „animum intentum tamquam arcum habebat." Quis hic notum illud „tertium comparationis" indicet? Ratio est prorsus diversa. Cum nervum sagittam ferentem ad humerum traho, in labore efficiendo „tensionem" voluntatis in me ipso experior; nam arcus in statum suum priorem redibit, nisi enitar. Haec autem „tensio" animi eadem est quam saepe alias experior. Quae mihi tendenti arcum in centro conscientiae versatur, et dico: „tendo arcum". Mutatio igitur arcus, quae quidem in forma eius et condicione fit, „tensio" evadit. Ita nomen ad mutationem externam translatum est.

Alia exempla proponam.

Vergil.
Aen. 6, 533. quae te fortuna *fatigat?*
4, 218. famamque *fovemus* inanem.
4, 64. (Dido) pecudumque reclusis
pectoribus *inhians*, spirantia consulit exta.

Hic de re externa sermo est cui se motus animi adiungit, qui nomen suum dat.

Fieri autem potest, ut actiones variae externae quas idem motus interni comitantur, inde etiam eodem nomine indicentur.

Utroque casu motus animi nomen suggerit. At exemplis potius quam longis explicationibus rem demonstrare iuvat, cum argumentum firmissimum sit series factorum, quae serio attendenti atque ad rem se applicanti ultro dilucida perspectaque fiunt.

Aen. 10, 513. Proxima quaeque *metit* gladio.
3, 663. luminis *effossi* fluidum lavit inde cruorem.
11, 108. quaenam vos tanta fortuna indigna, Latini,
implicuit bello?
2, 329. victor Sinon incendia miscet
insultans.
3, 525. Tum pater Anchises magnum cratera corona
induit.
11, 896. Interea Turnum in silvis saevissimus *implet*
nuntius.
3, 511. fessos sopor *irrigat* artus.
9, 721. Bellatorque animo deus *incidit.*
1, 663. donisque furentem
incendat reginam.
1, 403. pedes vestis *defluxit* ad imos.
11, 617. vitam *dispergit* in auras.
11, 794. et voti Phoebus succedere partem
mente dedit, partem volucris *dispersit* in auras.
7, 339. *Disice* compositam pacem.
5, 782. Cogunt me, Neptune, preces *descendere* in omnes.
6, 156. Aeneas maesto *defixus* lumina vultu.
6, 862. Sed frons laeta parum, et *deiecto* lumina vultu.
10, 857. quamquam vis alto vulnere tardat,
haud *deiectus*, equum duci iubet.
1, 687. Quum dabit amplexus atque oscula dulcia *figet.*
3, 250. Accipite ergo animis atque haec mea *figite* dicta.
1, 709. Mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum,
flagrantesque dei vultus, simulataque verba.
12, 433. Ascanium fusis circum complectitur armis
summaque per galeam *delibans* oscula fatur.
4, 395. Multa gemens, magnoque animum *labefactus* amore.
12, 222. Iuturna soror crebrescere vidit
sermonem, et vulgi variare *labantia* corda.
4, 22. Solus hic inflexit sensus, animumque *labantem*
impulit.
6, 99. (Sibylla) horrendas canit ambages antroque remugit,
obscuris vera *involvens.*
10, 410. *coit* in unum virtus socium.
2, 360. nox atra cava *circumvolat* umbra.

12, 840. Nec gens ulla tuos aeque *celebrabit* honores.
7, 330. Quam Iuno his *acuit* verbis ac talia fatur.
6, 745. Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
concretam exemit labem purumque reliquit
aetherium sensum.
7, 480. Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
obicit et noto naris contingit odore,
ut cervum ardentes agerent.
6, 609. et fraus *innexa* clienti.
4, 51. causasque *innecte* morandi.
5, 399. Haud equidem pretio *inductus* pulchroque iuvenco
venissem, nec dona moror.
9, 224. Cetera per terras omnis animalia somno
laxabant curas et corda oblita laborum.
4, 332. Ille Iovis monitis immota tenebat
lumina et *obnixus* curam sub corde premebat.
9, 299. *Percussa* mente dedere
Dardanidae lacrimas.
1, 101. Sed quid ego haec autem nequiquam ingrata *revolvo?*
8, 419. validique incudibus ictus
auditi *referunt* gemitus.
1, 356. caecumque domus scelus omne *retexit.*
12, 623. Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
aurigae currumque et equos et lora regebat,
talibus *occurrit* dictis: „Hac, Turne, sequamur", etc.
4, 335. nec me meminisse pigebit Elissae
dum memor ipse mei, dum spiritus hos *regit* artus.
4, 548. Tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
his, germana, malis *oneras* atque obicis hosti.
6, 103. non ulla laborum,
o virgo, nova mi facies inopinave surgit;
omnia praecepi atque animo mecum ante *peregi.*
12, 841. Adnuit his Iuno et mentem laetata *retorsit;*
interea excedit caelo nubemque relinquit.
11, 410. Nunc ad te et tua magna, pater, consulta *revertor.*
12, 424. Iamque secata manum nullo cogente sagitta
excidit, atque novae *rediere* in pristina vires.
1, 431. At Venus obscuro gradientes aere *saepsit,*
et multo nebulae circum dea fudit amictu.

6, 882. Heu, miserande puer, siqua fata aspera *rumpas*.
10, 898. contra Tyrrhenus, ut auras
suspiciens hausit caelum mentemque *recepit*.
11, 2. Aeneas, quamquam et sociis dare tempus humandis
praecipitant curae turbataque funere mens est,
vota deum primo victor solvebat Eoo.
3, 156. Nos te Dardania incensa tuaque arma secuti,
nos tumidum sub te *permensi* classibus aequor,
idem venturos *tollemus* in astra nepotes
imperiumque urbi dabimus.
9, 127. Ultro animos *tollit* dictis atque increpat ultro.
12, 239. Talibus *incensa* est iuvenum sententia dictis
iam magis atque magis, *serpitque* per agmina murmur.
7, 587. Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
quae sese multis circum *latrantibus* undis
mole tenet.
7, 755. *Mulcebat*que iras et morsus arte *levabat*.
7, 494. fluvio cum forte secundo
deflueret ripaque aestus viridante *levaret*.
8, 305. Et comitem Aenean iuxta natumque tenebat
ingrediens varioque viam sermone *levabat*.
10, 851. Idem ego, nate, tuum *maculavi* crimine nomen
pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
12, 45. Haudquaquam dictis violentia Turni
flectitur; exsuperat magis aegrescitque *medendo*.
12, 101. His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
scintillae absistunt, oculis *micat* acribus ignis.
10, 63. Quid me alta silentia cogis
rumpere et *obductum* verbis volgare dolorem?
1, 226. Atque illum tales *iactantem* pectore curas
tristior et lacrimis oculos suffusa nitentes
alloquitur Venus.
5, 404. Obstipuere animi; tantorum ingentia septem
terga boum plumbo *insuto* ferroque *rigebant*.
4, 642. At trepida et coeptis immanibus effera Dido
sanguineam volvens aciem maculisque trementis
interfusa genas et pallida morte futura
interiora domus inrumpit limina.
8, 389. notusque medullas
intravit calor et labefacta per ossa *cucurrit*.

5, 292. *Invitat* pretiis animos et praemia ponit.
6, 614. Ne quaere doceri,
quam poenam, aut quae forma viros fortunave *mersit.*
11, 716. cui pineus ardor acervo
pascitur.
10, 625. Sin altior istis
sub precibus venia ulla latet totumque moveri
mutarive putas bellum, spes *pascis* inanis.
6, 627. Omnia poenarum *percurrere* nomina possim.
2, 12. Quamquam animus meminisse horret luctuque *refugit*,
incipiam.
10, 473. Sic ait atque oculos Rutulorum *reicit* arvis.
3, 561. Haud minus ac iussi faciunt, primusque *rudentem*
contorsit laevas proram Palinurus ad undas.
3, 423. sidera *verberat* unda.
8, 673. Et circum argento clari delphines in orbem
aequora *verrebant* caudis aestumque *secabant.*
10, 107. Quae cuique est fortuna hodie, quam quisque *secat* spem,
Tros Rutulusne fuat, nullo discrimine habebo.
2, 36. suspectaque dona
praecipitare iubent subiectisque urere flammis
aut *terebrare* cavas uteri et temptare latebras.
8, 569. neque finitimo Mezentius unquam
huic capiti *insultans* tot ferro saeva dedisset
funera, tam multis *viduasset* civibus urbem.
12, 238. Talibus *incensa* est iuvenum sententia dictis
iam magis atque magis, *serpit*que per agmina murmur.
5, 743. Haec memorans cinerem et *sopitos* suscitat ignis.
4, 413. iterum temptare precando
cogitur et supplex animos *submittere* amori.
3, 93. *Submissi* petimus terram.
9, 609. Omne aevum ferro *teritur*, versaque iuvencum
terga *fatigamus* hasta.
5, 592. Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
impediunt *texuntque* fugas et proelia ludo
delphinum similes.
4, 68. *Uritur* infelix Dido totaque vagatur
urbe furens, qualis coniecta cerva sagitta.
12, 672. Ecce autem flammis inter tabulata volutus
ad caelum *undabat* vertex turrimque tenebat.

2, 608. Hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis
saxa vides mixtoque *undantem* pulvere fumum.

5, 147. Nec sic inmissis aurigae *undantia* lora
concussere iugis pronique in verbera pendent.

7, 64. Huius apes summum densae (mirabile dictu)
stridore ingenti liquidum trans aethera *vectae*
obsedere apicem.

5, 453. neque territus heros
acrior ad pugnam redit ac vim *suscitat* ira.

3, 581. (Fama est) Et, fessum quotiens mutet latus, intremere
murmure Trinacriam et caelum *subtexere* fumum omnem
(scil. Aetnam).

10, 808. sic obrutus undique telis
Aeneas *nubem* belli, dum detonet omnis,
sustinet.

6, 48. sed pectus anhelum
et rabie fera corda *tument.*

3, 537. Quattuor hic, primum omen, equos in gramine vidit
tondentis campum late.

6, 597. rostroque immanis voltur obunco
immortale iecur *tondens* fecundaque poenis
viscera rimaturque epulis habitatque sub alto
pectore.

1, 725. Fit strepitus tectis vocemque per ampla *volutant*
atria.

10, 97. ceu flamina prima
cum deprensa fremunt silvis et caeca *volutant*
murmura.

1, 305. At pius Aeneas, per noctem plurima *volvens.*

12, 228. Rumoresque *serit* varios.

Exempla paene innumerabilia ex aliis quoque auctoribus afferre licet. Vergilium elegi, cum omnium poëtarum posteriorum fundamentum sit et haud sciam an ceteris omnibus subtilius animi motus sermone expresserit. Cum haec exempla perlegeris, quorum alia toti fere Latinitati communia, alia Vergili propria sunt, spero fore ut sentias re vera motus animi verborum translationem efficere. Neque

amplius caligo oculis offundetur, cum in locutiones quales sunt „fundere hostes", „carpere viam" incidens explicationis illius de „comparatione compendiaria", antiquitatem redolentis, memineris.

Ceterum commentationes quae sequuntur rem nostram magis etiam explanabunt.

19. In hominum sermone etiam *tonus* aliquid psychici aperit. Quod Gellio teste iam Publius Nigidius observavit, cum dicat: „Voculatio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi aut vocandi sint? Nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est quam prima, deinde novissima deicitur. At in casu vocandi summo tono est prima, deinde gradatim descendunt. Sic quidem P. Nigidius dici praecipit" [1]).

Qui P. Nigidius mihi valde placet, cum se animum lingua patefactum penitus perscrutatum esse demonstrat. Nam alias quoque res investigasse videtur, quod alio loco idem Gellius narrat [2]): „Nomina verbaque, non positu fortuito, sed quadam vi et ratione naturae facta esse P. Nigidius in grammaticis commentariis docet: rem sane in philosophiae dissertationibus celebrem. Quaeri enim solitum apud philosophos, *φύσει τὰ ὀνόματα ἢ θέσει.* In eam rem multa argumenta dicit, cur videri possint verba esse naturalia magis quam arbitraria, ex quibus hoc est visum lepidum et festivum: „Vos", inquit, cum dicimus *motu quodam oris conveniente cum ipsius verbi demonstratione* utimur, et labias primores emovemus, ac spiritum atque animam porro *versum et ad eos* quibuscum sermocinamur, intendimus. At contra cum dicimus „Nos", neque *profuso intentoque flatu vocis neque pro*iectis labiis pronuntiamus, sed et spiritum et labias quasi *intra* nosmetipsos coërcemus. Hoc idem fit et in eo quod dicimus „Tu", et „Ego", et „Tibi" et „Mihi." Nam sicuti cum *ad*nuimus et *ab*nuimus, *motus* quidem ille vel *capitis* vel *oculorum*, *a natura rei*,

---

1) Aul. Gell. N. A. 13. 24.
2) l. c. 10. 4.

quam significat, non abhorret; ita in his vocibus quasi *gestus* quidam *oris* et spiritus *naturalis* est. Eadem ratio est in Graecis quoque vocibus, quam esse in nostris animadvertimus."

Si huic grammatico dixissem necesse mihi videri motus animi etiam in sermone signo externo significari, eum statim mihi assensurum fuisse suspicor, quippe qui ipse e lingua psychica eruere conaretur.

Notandum tamen est, motus animi, nudati imagine ut sunt, motibus vel tono, non vero vocabulis exprimi maxime probabile esse. Sed hoc tantum vel sic statuere ausim.

Experientia autem constat, re vera aliquid esse quod motus animi in sermone patefaciat, scil. tonum vocis, cuius elevatio aut descensio cum affectibus gradatim mutatur, id quod multis exemplis demonstravit Van Ginneken[1]), Wundt leviter perstrinxit[2]).

Mihi autem in mentem venit etiam, metaphoras, quas immediate motus animi exprimere saepius iam dixi, horum motuum vestigia in tono retinere. Cuius rei in suspicionem veni, cum mihi in schola docenti evenit quod narraturus sum.

Cum discipulis fragmentum ex Taciti Historiis[3]) legebam, ubi transitus fluminis narratur: „miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit. Igitur lacessentibus Batavis ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen; deinde orta trepidatio, cum praealtis paludibus arma equi haurirentur. Germani notis vadis *persultabant*."

Romani igitur, graves ac tali opere insueti, magno labore et contentione transitum perficiebant. Germani huiusmodi rerum periti, leviter ac facile transgrediebantur. Ex discipulis unus vertit: de Germánen dansten er door heen, id quod non immerito admirationem ei movit.

---

1) Studiën. Tijdschrift voor godsdienst, wetenschap en letteren, jg. 42, d. 74, p. 530 sqq.

2) Völckerpsychologie. Die Sprache.

3) Hist. 5. 14 et 15.

Tum subtile illud totius imaginis uno hoc planum feci, quod verbum „dansen" magna vi vocis signavi: „en de Germanen, die dánsten er door heen."

Perspicuum est enim, auctorem hic noluisse efficere, ut Germanorum transitum tamquam saltationem imaginaremur, sed modum transitus ut levem i. e. spectatori motum animi levitatem eandem offerentem ac saltationem infigere voluit.

Postea perpetuo ac diligenter circumspexi, num plura exempla mihi se offerrent, quibus altior accentus uno actu totum „figuratum" ostenderet, atque sane locos multos notavi et ex ipso illo Tacito et e Vergilio, e quibus non nullos indicare lubet:

Tac. ann. 1, 7: At Romae rúere in servitium consules.
1, 54: Dum Maecenati obtemperet effúso in amorem Bathylli.

Contra, sine accentu, cum figura sit mortua:
1, 21: Simul probra in legatum cumulant.

Verg. Aen. 7, 378. ceu quondam torto vólitans sub verbere turbo
3, 478. Évolat infelix.
10, 160. Pallasque sinistro
Adfíxus lateri, iam quaerit sidera.

Alia videas § 18.

Si isto modo leges, Tacitus et Vergilius multó pulchriores ac luculentiores videbuntur, cum ad animum eorum propius accesseris[1]).

Deinde aliis locis et temporibus de hac re quaestiones institui, atque observatio mea mihi quidem quasi revelatio videbatur, qua

---

1) In multorum hominum sermone cotidiano hunc accentum saepius observavi; idem saepe auditur ex ore totius histrionum gregis „Nederlandsch Tooneel", et ipsius ducis gregis Willem Royaards, fabulas Vondelianas agentis.

multa denuo viva evaserunt atque animos auctorum propius sentire et pernoscere mihi visus sum.

Opinio, verbum „figuratum" animi tantum motum efficere velle, non autem imaginem, confirmata est. Et insuper verbum hanc vim (scil. motus animi) nancisci vi vocis sive accentu perspicere mihi visus sum.

Denique ita rem se habere statui, ut metaphora quae dicitur, si ab auctore invenitur aut saltem re vera animo persentitur (wordt doorleefd), magna vi vocis efferatur. Atque vocis vis eodem modo minuitur quo vivacitas animi motus, ita ut, ubi haec omnino deest, nec iam tonus altior reperiatur nec verbum ipsum „figura" sit.

Itaque nescio an haec sit ratio distinguendi inter figuras linguae et auctorum, quam distinctionem Rob. Thomas[1]) fecit, laudavit P. Cauer.

Si quis mihi forte obiciat, modum legendi non semper apertum esse non obloquor. At tamen bene se in res insinuando multa deprehendi posse nemo, credo, negabit.

Quidquid est, ea quae supra a me exposita sunt metaphoram nostram magis illustrare confido atque sententiam meam comprobare ac confirmare, eam in animi motu sitam esse.

Denique repetere velim quod initio huius capitis observavi, explicationem hanc non ut celebre illud „tertium comparationis" tenebras spissas menti inicere atque viam psychologicam satis claram esse[2]).

20. Hucusque de metaphora generatim disserui, nam cuncta illa de omni lingua et de omnibus auctoribus valent. Longa haec via ad

---

[1]) in dissertatione „Zur Entwicklung der Metaphora im Griechischen". Citatur apud Cauer, Die Kunst des Übersetzens p. 151.

[2]) „Tertium comparationis" in libello recenti Max C. P. Schmidt, Realistische Stoffe im humanistischen Unterricht, Leipzig 1910, denuo apparet. „Metapher ist die Vertauschung ähnlicher Vorstellungen . . . . Ähnlich sind Vorstellungen, die ein Merkmal gemeinsam haben, das sogenannte *tertium comparationis*".

propositum nostrum necessaria videbatur. Iam vero ex metaphorarum thesauro de ingenio Romano quaedam eruere licet et rogare, quid lingua Latina hic proprium ac peculiare praebeat.

Primo numerus metaphorarum quaedam revelat. Multitudinis absolutae hic rationem non habendam esse et de relativa tantum frequentia aliquid dici posse non est quod moneam.

Ante omnia sub oculos cadit per se iam veri simile esse, motus animi utpote qui sint activitas, facillime se cum *verbis* (werkwoorden) iungere. Atqui Nägelsbach qui omnino non e meditatione psychologica processit, immo psychologica ne suspicatus quidem est, instituta inquisitione de metaphoris Latinis concludit[1]):

„Sedes metaphorarum Latinarum principalis in verbis, non in nominibus est."

21. Deinde, cum Romanorum vita non tam varia et multiplex neque tam negotiosa esset quam nostra est, associationum viae in eorum mente multo minore numero erant quam in nostra. Tenendum est etiam, Romanis paucos libros fuisse neque varios. In parvo notionum numero vivere assueverant ut etiam nunc Orientales vivere dicuntur[2]). Itaque Romanorum psyche minus complicata erat, mens multo simplicior, quae *omnia in lingua appareant necesse est.*

Apparere autem hoc modo videntur. Mens tarda et aequabilis cum esset, perceptione nova eo magis conquassabatur quo lenius fluere solebat. Animum penitus attingebat quidquid eorum „stream of thought" [3]) mutabat; unde metaphorae *fortes* sunt.

22. Denique animi fluvius, ut erat sine ulla varietate, fluvius videbatur et nil nisi fluvius, cuius cursus interdum mutaretur. Quocum mirum in modum congruit quod idem Nägelsbach dicit, imprimis

---

1) Lateinische Stilistik für Deutsche[8], besorgt von Iwan Müller, p. 563.

2) Vide sagacem hanc animadversionem in Poulain S. J. Les Grâces d'Oraison.

3) Est locutio viri docti W. James, Principles of Psychology.

verba motuum metaphorice adhiberi et in his ante alia omnia verba *fluendi* et *fundendi*[1]).

Tandem si addo, in fluvio mentis melius intervalla quam fluvium ipsum perspici[2]), explicatum est, quare Nägelsbach recte dicat: „dass es besonders viele für die Vorstellung (?) der Bewegung gibt, und *zwar mit dem Terminus a quo und ad quem*" Et propositionem nostram illud non paulum confirmat: „dass der Lateiner die Metapher *viel haüfiger, viel energischer* und *malerischer*, endlich in kühneren Verbindungen gebraucht."

Nihil iam vetare videtur, quo minus hoc primo capitulo nos invenisse atque argumentis demonstrasse contendamus, Romanorum animos facilius altiusque commoveri solitos esse: quae res omnibus gentibus aliquatenus communis est, ea Romani excelluerunt.

DE VI ACTIVA ET PASSIVA.

23. Ante omnia notare volo, quod exemplis Vergilianis supra laudatis satis superque apparet, ut metaphoram in verbis, ita vim activam et passivam in adiectivis ac verbalibus necnon in substantivis quibusdam raris praecipue occurrere.

Quod ad rem ipsam pertinet, quamquam vulgare dictum apud interpretatores est: auctor tali voce utitur active aut passive, res tamen haud ita simplex apertaque esse mihi quidem videtur. Ista admonitione sane ita assuefacti sumus, ut legentes quasi sit aliquid quod e rerum natura sequatur, transeamus; verum enimvero si paulo attentius inspexerimus, rem aliter se habere patebit.

Antequam de huius rei causis ac fundamentis disserere ingrediar, locos nonnullos e Vergilio atque ex aliis auctoribus tam poëtis quam oratoribus et historicis desumptos praemitto.

---

1) Nägelsbach l. c. minore numero uti Romanos figuris *florendi* et *ardendi* dicit, sed hoc ad capitulum de empathia pertinere duco.

2) Cf. James l. c. I p. 244.

ACTIVE.

Verg. 1, 721. et vivo temptat praevertere amore
iam pridem resides animos *desuetaque* corda.

6, 83. O tandem pelagi defuncta periclis,
(sed terrae *graviora* manent) in regna Lavini
Dardanidae venient.

6, 730. Igneus est ollis vigor et caelestis origo
seminibus, quantum non *noxia* corpora tardant
terrenique hebetant artus moribundaque membra.

3, 377. Pauca tibi e multis, quo tutior *hospita* lustres
aequora et Ausonio possis considere portu,
expediam dictis.

7, 329. Dis sedem exiguam patriis litusve rogamus
innocuum et cunctis undamque auramque patentem.

3, 362. namque omnis cursum mihi prospera dixit
religio, et cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere.

10, 666. Respicit *ignarus* rerum *ingratus*que salutis
et duplicis cum voce manus ad sidera tendit.

3, 356. Iamque dies alterque dies processit, et aurae
vela vocant, *tumidoque* inflatur carbasus austro.

4, 12. Credo equidem, nec vana *fides*, genus esse deorum.

1, 630. Non *ignara* mali miseris succurrere disco.

1, 384. Ipse *ignotus* egens Libyae deserta peragro.

4, 132. Massylique ruunt equites, et *odora* canum vis.

PASSIVE.

2, 509. Arma diu senior *desueta* trementibus aevo
circumdat nequiquam umeris et inutile ferrum
cingitur.

6, 515. Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama et armatum peditem *gravis* attulit alvo.

7, 325. (Allecto), cui tristia bella
iraeque insidiaeque et crimina *noxia* cordi.

6, 93. Causa mali tanti coniunx iterum *hospita* Teucris
externique iterum thalami.

10, 301. Donec rostra tenent siccum et sedere carinae
omnes *innocuae*, sed non puppis tua, Tarchon.

2, 149. Mihique haec edissere vera roganti:
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
quidve petunt? quae *religio* aut quae machina belli?

2, 101. Sed quid ego haec autem nequiquam *ingrata* revolvo
quidve moror, si omnes uno ordine habetis Achivos
idque audire sat est?

10, 385. nam Pallas ante ruentem,
dum furit, incautum crudeli morte sodalis
excipit atque ensem *tumido* in pulmone recondit.

3, 69. Inde, ubi prima *fides* pelago placataque venti
dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum,
deducunt socii navis et littora complent.

10, 705. Paris urbe paterna
Occubat, *ignarum* Laurens habet ora Mimanta

ignotis errare locis.

(arbos *odora*, flores *odori*).

Horat. Sat. 1. 9. 32 active: *tarda* podagra.
2. 2. 84 „ *tarda* senectus.
1. 8. 2 „ Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.
Cum faber, *incertus* scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum.

Od. 2. 17. 21 passive: *incredibilis.*
3. 3. 14 etc. „ *indocilis.*
3. 3. 4 „ *innumerabilis.*
Sat. 1. 2. 119 „ *parabilis.*
Epod. 1. 18. 58 „ *inexcusabilis.*
A. P. 300 „ *insanabilis.*

Od. 3. 5. 17 active: *immiserabilis* pubes.

Od. 2. 14. 6 active: *inlacrimabilis* (= Gr. ἀδακρυτός).
Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
amice, places *inlacrimabilem*
Plutonem tauris.

Od. 4. 9. 26 passive: *inlacrimabilis* (= Gr. ἄκλαυστος).
Vixere fortes ante Agamemnona
multi; sed omnes *inlacrimabiles*
urguentur ignotique longa
nocte, carent quia vate sacro.

Sat. 2. 3. 181 active: *intestabilis.*
Praeterea ne vos titillet gloria, iure
iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve
vestrum praetor, is *intestabilis* et sacer esto.

Od. 2. 10. 3, (A. P. 46 etc.) active: *cautus.*
Rectius vives, Licini, neque altum
semper urguendo, neque dum procellas
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.

Epist. 2. 1. 105 passive: *cautus*.

Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa
mane domo vigilare, clienti promere iura,
cautos nominibus rectis expendere nummos.

Epod. 5. 85 active: *dubius*.

Sub haec puer iam non, ut ante, mollibus
lenire verbis impias,
sed *dubius* unde rumperet silentium,
misit Thyesteas preces.

Od. 4. 9. 36 passive: *dubius*.

Est animus tibi
rerumque prudens et secundis
temporibus *dubiis*que rectus,
vindex avarae fraudis et abstinens
ducentis ad se cuncta pecuniae.

Od. 3. 12. 5 active: *operosus*.

Tibi qualum Cythereae
puer ales, tibi telas
*operosae*que Minervae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri.

Od. 4. 2. 31 passive: *operosus*.

Circa nemus uvidique
Tiburis ripas *operosa* parvus
carmina fingo.

Od. 3. 1. 48

Cur valle permutem Sabina
divitias *operosiores?*

Iuv. Sat. 2. 6. 300 active: *obscenus* et *mollis*.

Prima peregrinos *obscena* pecunia mores
intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
divitiae *molles*.

Sat. 5. 13. 156 active: *innoxius.*

Confer et artificem mercatoremque veneni
et deducendum corio bovis in mare cum quo
clauditur adversis *innoxia* simia fatis.

Columella R. R. 3. 3. 38 passive: *innoxius.*

Rutae frutex pluribus annis permanet *innoxius.*

Catull. 64. 57 aliquatenus passive: *solus.*

Necdum etiam sese quae visit, visere credit,
ut pote fallaci quae tunc primum excita somno
desertam in *sola* miseram se cernat harena.

Tibull. 2. 6. 46 active: *occulto* sinu.

Cicero active et passive utitur adiectivis: *infensus*, *ingratus;* etiam Or. 2. 87. 357 passive: *caecus* (= quod videri non potest)

res *caecas* et ab aspectus iudicio remotas.

Tusc. 4. 15. 24 active: *anxius* (= quod angorem affert)

aegritudines *anxias.*

Cael. 2. 3 active: *notus.*

De dignitate M. Caelius *notis* ac maioribus natu facile ipse respondet.

ad Fam. 5. 12. 7 active: *ignotus.*

Illi artifices corporis simulacra *ignotis* nota faciebant.

Pro Cons. 3. 6 active: *necessarius.*

Morte voluntaria *necessariam* turpitudinem depulisse.

Sall. Iug. 17. 6 passive: *saluber.*

Genus hominum *salubri* corpore.

Cat. 39. 2 passive: *innoxius* (= integer)

ipsi *innoxii*, florentes sine metu aetatem agere, ceterosque iudiciis terrere.

Iug. 65. 2 active: *custodia.*

Cui Metellus petenti, more regum et sellam iuxta poneret, item postea *custodiae* causa turmam equitum, utrumque negaverat.

Iug. 9. 5 passive: *gratia.*

Cum virtute tum *gratia* viri permotus, flexit animum suum.

ep. Pomp. 6; or. Cott. 5 active: *gratus.*

Cat. 23, Cat. 25. Cat. 5 passive: „

Iug. 18 et 52 passive: *ignarus.*

mare magnum et *ignara* lingua commercio prohibebant.

regio hostibus *ignara.*

Iug. 24 active: *incertus.*

ferro an fame acrius urgear, *incertus.*

etiam:

Iug. 14 *incertus*, quid agam.

„ 67 Romani milites, perculsi improviso metu, *incerti* ignarique, quid potissimum facerent.

„ 101 Consul *incertus*, quonam modo aciem instrueret.

„ 74 varius *incertus*que agebat.

„ 49 inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen *incerti* quidnam esset.

Passive *incertus* passim invenitur. Immo *profusus* active intellegendum esse videtur Cat. 5: Animus audax, subdolus, varius, cuius rei libet simulator ac dissimulator; alieni appetens, sui *profusus*, ardens in cupiditatibus.

Tutus active sumptum restituendum est Iug. 74[1]): Numidis in omnibus proeliis magis pedes quam arma *tuta* sunt.

At vero usu talium nominum Tacitus longe uberrimus est.

Ann. 1. 59 passive: *inexpertus* et *nescius.*

Aliis gentibus ignorantia imperi Romani, *inexperta* esse supplicia, *nescia* tributa.

---

1) Cf. Cauer, Die Kunst des Übersetzens, p. 53.

Ann. 1. 63 passive: *gnarus.*

Missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae auxerant consternationem, trudebanturque in paludem *gnaram* vincentibus.

Ann. 1. 64 passive: *instabilis.*

Et cuncta pariter Romanis adversa: locus uligine profunda, idem ad gradum *instabilis*, procedentibus lubricus; corpora gravia loricis.

Eodem capite passive: *suetus.*

Contra Cheruscis *sueta* apud paludes proelia, procera membra.

Ann. 1. 50 passive: *incautus.*

Inde saltus obscuros permeat consultatque, ex duobus itineribus breve et solitum sequatur an impeditius et intemptatum eoque hostibus *incautum.*

Saepius passive utitur: *gnarus*; e. g. Ann. 1. 51; Hist. 3. 79.

Saepissime: *ignarus*, e. g. Ann. 2. 13; Hist. 3. 8[1]):

Ann. 1. 21 active: *terror.*

Blaesus paucos, maxime praeda onustos, ad *terrorem* ceterorum adfici verberibus, claudi carcere iubet.

Ann. 6. 49 active: *lubricus.*

Donec minor filius *lubricum* iuventae exiret.

Ann. 13. 2 *lubricam* principis aetatem.

Ann. 14. 56 *lubricum* adulescentiae.

Ann. 2. 71 active: *ignotus.*

Flebunt Germanicum etiam *ignoti.*

Ann. 3. 1. Interim adventu eius audito intimus quisque amicorum et plerique militares ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam *ignoti* vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium.

---

[1]) Cf. loci apud Nipperdey ad Tac. Ann. 32, 14.

Ann. 6. 17 passive: *incuriosus.*

Neque emptio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acribus, ut ferme talia, initiis, *incurioso* fine.

Hist. 1. 49 active: *incuriosus.*

Famae nec *incuriosus* nec venditator, pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus.

Cf. etiam Ann. 2. 88; 4. 32, etc.

Agric. 18 active: *tardus.*

23. Exempla valde usitata sunt:

angustum iter; res *angustae.*

grave onus; somno *gravis.*

laetus nuntius; civitas *laeta.*

tristia tempora; animus *tristis.*

Eodem modo, quamquam hic plerumque de subiectivo et obiectivo loquimur, accipienda sunt[1]:

varietas, *veritas*, *libertas*, *officium*, *scelus*, *elegantia*, *immaturitas*, *libido*, *opinio*, *suspicio*, *simulatio; molestia*[2], *vis*, *caedes*, *imprudentia*, *invidia*, *odium*, *consilium*, *fides*, *gratia*, *memoria*, *mens*, *ratio*, *religio*, *sententia.* –

Adiungenda sunt: *munitio*, *narratio*, *punitio*, *cogitatio*, *coniunctio*, *spoliatio*, *occupatio.*

Universe substantiva verbalia in *-io* et *-us* abeuntia vim activam et passivam admittunt.

Deinde adiectiva verbalia in *-ilis*, quibus Romani raro utebantur, ad talem rem facilia se praebent: *flebilis*, *penetrabilis;* active: *penetrabile* telum (Verg.); passive: corpus nullo *penetrabile* telo. (Ovid.).

Dicitur active: rivus *mobilis*, oculi *mobiles*, exercitus *mobilis;* passive: *mobilium* turba Quiritium.

Adiectivum quoque *facilis* vim passivam et activam offert. De vi

---

[1]) Nägelsbach, l. c. p. 80 sqq.

[2]) ibid. p. 215 sqq.

passiva non est quod dicam; sed vis activa elucet e. g. ex: *facilis* et expeditus ad dicendum.

Flexibilis semper fere passive usurpatur; sed figurato sensu reperitur: quid potest esse tam *flexibile*, tam devium quam animus eius qui, etc.

Volubilis sensu activo in: *volubile* buxum (Verg.), *volubilis* amnis; sensu passivo in: *volubile* caelum, *volubilis* deus.

Versatilis passive in: *versatile* templum caeli; vim activam sentias in: *versatile* ingenium.

Placabilis semper fere vi passiva; sed Terentius vim activam adhibet, dicens: *placabilius* est, h. e. magis ad placandos animos conducit.

Lacrimabilis passive: *lacrimabile* bellum; sed vis activa se effert in: *lacrimabiles* gemitus.

Ludificabilis active in: *ludificabiles* ludi (Plaut.).

Patibilis passive in philosophia: *patibilis* dolor; verum etiam active: natura *passibilis*.

Tolerabilis passive in: *tolerabilis* poena, *tolerabilis* servitus; active in: paulo qui est homo *tolerabilis* (Terent.).

Dissociabilis passive in: *dissociabiles* terrae; fortasse active in: nequiquam deus abscidit prudens Oceano *dissociabili* terras. (Horat.).

24. Omnia exempla illa si quis attente percensuerit, mox ei apparebit satis crasse dici, eadem verba modo active modo passive sumpta esse. Neminem oblocuturum esse opinor, si vim neque in activo neque in passivo semper et ubique eandem esse contendero, sed intra illam vim manere discrimina multa ac varia.

Res bene investigata de huius distinctionis ratione interna dubium mihi movit. Quod observatum magis paulo explicaturus sum.

Primum animadvertas quaeso ipsa illa nomina quae praecipue motus animi aperiant, h. e. ea quae admodum exile aut nullum phantasma contineant, facillime modo active modo passive sumi. Quod non tantum in lingua Latina obtinet, verum, etsi minore modo, omnium linguarum est.

Deinde sine controversia statuere licet, fieri non posse ut nomen duplicem significationem habeat. Unde sequitur vocem et active et passive sumptam idem significare.

Ut aliis verbis dicam: talis vox fere motum animi indicat. Atqui motus animi utroque casu idem est. Cum nomen active usurpatur, motus animi significatur ut intus actuosus est; cum passive, eodem modo, nempe ut intus actuosus est, sed coniunctus cum imagine qualicumque rei externae. Atque ita quo magis imago actu implicari videtur, eo vividior vis passiva evadit.

Si rem ita interpretari licet, praesertim voces quae activitatem indicant, active aut passive adhiberi posse patet. Et profecto facillime se praebent *verbalia*; necnon *adiectiva* quae *notionem verbalem* continent, qualia sunt *carus*, *odorus*.

25. At tamen in lexicis hic illic de vi passiva sermo est, ubi principium toto caelo est diversum. Et ipse P. Cauer[1]) nimis late rem extendit, ubi e. g. de vocis *caecus* usu passivo loquitur. Ut supra dixi, vis vocabuli alicuius active perinde ac passive sumptae proprie eadem est et, si recte perpendimus, res aliter se habere non potest. Vox unam tantum significationem praebet. Si differentiam nos sentire putamus, haec a meditatione provenit, non naturae immediate se enuntiantis est, nam lingua a natura immediata, h. e. sine deliberatione producitur.

Doctorum virorum commentationes ad ea quae linguarum antiquarum Graecae ac Latinae propria dicuntur, animum nostrum adverterunt; quas proprietates difficultas eiusmodi vocabula linguis recentioribus reddendi quippe quibus parum apta essent, iis conspicuas fecit.

Inventum magni momenti iis visum est, quo tantum delectati sunt, ut in „nimium" aberraverint. Pro certo cum haberent, linguam solas res quae intellectui inhaererent, manifestare idque quidem accurate ac subtiliter, non potuerunt non putare linguas antiquas quasi sibi

---

[1]) Die Kunst des Übersetzens, p. 53 sq.

conscias vocibus vim activam aut passivam prout vellent tribuisse. Eiusmodi sententiae etiamnunc in libris evulgantur sicut Willamowitz[1]) dicit: „in vetere Graecorum lingua adiectivis omnibus vim activam et passivam inesse", id quod ita enuntiatum longe a vero abesse videtur: neque enim reapse vis activa aut passiva adiectivo inest neque eadem vi ac ratione omnia hanc activitatis vel passivitatis speciem consecuta sunt. Adiectivum vim activam vel passivam non habet, non exprimit, sed eundem semper animi actum effert. Mirum igitur non est, in ratione loquendi hominum incultorum, utpote qui maxime immediate sua intima promant, hunc liberum adiectivorum usum reperiri[2]).

Adnotandum etiam est, hoc phaenomenon sensus passivi, e. c. vocis *caecus*, aliquando ex alio fonte profluere. Interdum ex „empathia"[3]) quae dicitur, oritur, de qua postea acturus sum. Inde quod ad sensus originem attinet ratio saepius non abest, propter quam inter usum passivum et empathiam dubites. Ego certe utram partem eligerem me semel atque iterum decernere non potuisse non infitior.

At hanc haesitandi rationem thesin nostram omnino non attingere cuivis perspicuum est, itaque rationes in alterutram partem inclinandi non est quod afferam.

Ceterum in capitis fine repetere velim, ex eo quod Latini in usu activo et passivo plurimi fuerint, facile apparere, eos primitus nominibus suis motus animi expressisse.

DE TRANSLATIONE DE SENSU IN SENSUM, ETC.

26. „Une espèce particulière de métaphore extrêmement fréquente, M. Bréal ait[4]), dans toutes les langues, vient de la communication

---

[1]) Commentariolum II 1895 p. 6, (citatur in Cauer, K. d. Ü, p. 152).
[2]) Id etiam Cauer dicit, Grammatica militans, p. 10.
[3]) Hoc nomen finxi ad reddendum „invoeling", Germ. „Einfühlung".
[4]) Essai de sémantique, p. 143 sq.

entre les organes de nos sens, qui nous permet de transporter à l'ouie des sensations éprouvées par la vue, ou au goût les idées que nous devons au toucher. Nous parlons *d'une voix chaude*, *d'un chant large*, *d'un reproche amer*, *d'un ennui noir*, avec la certitude d'être compris de tout le monde.

La critique moderne, qui use et abuse de ce genre de transposition, ne fait que développer ce qui se trouve en germe dans le langage le plus simple. *Un son grave*, *une note aiguë* ont commencé par être des images . . . . . Quelquefois on ne sait plus au juste de quel organe ces expressions sont parties; pour l'adjectif *clarus*, par exemple, on a pu longtemps se demander s'il vient de la vue ou de l'ouie. Sans les mots *acies*, *acus*, *acutus*, *acer*, nous ne saurions pas que le français *aigre* n'a pas toujours appartenu au sens du goût."

Re vera memoratu dignum est, adiectiva ad sensum quendam pertinentia haud ita raro de alio sensu praedicari.

Sic Vergilius dicit: *amarus* fumus, *acerbum* vulnus, *acerbe* tuens[1]). Sed istis terminis ac finibus res non continetur. Etiam substantiva quae sensum omnino non indicant, cum adiectivis sensuum propriis haud raro iunguntur. Atque significare hic velim praesertim substantiva motuum animi has partes agere: *gaudium*, *dolor*, *spes*, *timor*, cet.

27. Exempla nonnulla:

Aen. 9. 717. Hic Mars armipotens animum virisque Latinis
addidit et stimulos acris sub pectore vertit
inmisitque Fugam Teucris *atrumque* Timorem.

2. 95. Si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
promisi ultorem et verbis odia *aspera* movi.

11. 308. Spem siquam adscitis Aetolum habuistis in armis,
ponite; spes sibi quisque; sed haec quam *angusta* videtis.

---

[1]) Aen. 9. 794.

Alio loco loquitur de *ampla spe.*

12. 780. Dixit opemque dei non *cassa* in vota vocavit.

Buc. 1. 3. *dulcia* linquimus arva.

Aen. 1. 567. *obtusa* pectora.

Notissimum illud Horatii Od. 3. 1. 40: Post equitem sedet *atra* cura; et Od. 3. 14. 13: Hic dies vere mihi festus *atras* Eximet curas.

Praeterea dicit:

Ep. 2. 2. 63.

Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter;
quod petis, id sanest invisum *acidumq*ue duobus.

Sat. 1. 7. 6.

Durus homo atque odio qui posset vincere Regem,
confidens tumidusque, adeo sermonis *amari*,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.

Ep. 1. 17. 53.

acerbum frigus.

Epod. 7. 17.

Sic est: *acerba* fata Romanos agunt.

Od. 2. 13. 37.

Quin et Prometheus et Pelopis parens
dulci laborum decipitur sono.

Epod. 16. 35.

Haec et quae poterunt reditus abscindere dulces
eamus omnis *exsecrata* civitas,
aut pars indocili melior grege.

Od. 1. 33. 14.

hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore *acuto*
sustulit, hic posuisse gaudet.

Sat. 1. 3. 29.

acutis naribus.

Od. 3. 27. 69.

Mox ubi lusit satis, „abstineto",
dixit „irarum *calidaeque* rixae,
cum tibi invisus laceranda reddet
cornua taurus."

Sat. 2. 6. 48. Ludos spectaverat una,
luserat in campo: „Fortunae filius!" omnes.
frigidus a rostris manat per compita rumor:
quicumque obvius est, me consulit.

Vergil. Buc. 3. 109. Quisquis amores
aut metuet *dulces* aut experietur *amaros*.

Georg. 341.

Tum pingues agni, et tum *mollissima* vina,
tum somni *dulces* densaeque in montibus umbrae.

Aen. 11. 337.

Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
obliqua invidia stimulisque agitabat *amaris*,
largus opum et lingua melior, sed *frigida* bello
dextera.

Aen. 12. 591.

Volvitur *ater* odor[1]) tectis, tum murmure caeco
intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras.

Juv. 7. 206. et hunc inopem vidistis Athenae
nil praeter *gelidas* ausae conferre cicutas.

Lucret. 1. 641.

Omnia enim stolidi magis admirantur amantque,
inversis quae sub verbis latitantia cernunt,
veraque constituunt quae *belle* tangere possunt
auris et lepido quae sunt *fucata sonore*.

---

[1]) Ad quod Servius: „odor ater nove, nam in odore quis est color? Sed hoc dicit odor atrae rei id est fumi".

28. Iam Wundt contendit translationes de sensu ad sensum, de quibus supra (§ 26), similitudine partis affectivae, quam sensatio contineat („des Gefühlstons"), proprie niti. Ad quam conclusionem variis inquisitionibus psychologicis denique pervenit.

Iure merito cum hac re phaenomena quae dicuntur „synaesthesiae", Van Ginneken[1]) conectere videtur.

Iamdudum animadversum est, si penna imam meatus auditorii partem irrites, in gutture pruritum exoriri qui, si irritare pergas, tussim vehementem efficere possit.

Quidam homines cum sonos acres audiunt, aliquid obtusi in dentibus sentiunt.

Aspectus planitiei claro colore illitae sternumentum provocat.

Sunt qui sonos audientes colores videant, modo quasi eos phantasia fingant, modo quasi sentiant. De his „synopsiis" et de „auditione colorata" Bleuler, Lehmann, Kaiser, Epstein, alii investigationes instituerunt. Quinque phaenomenorum species adhuc observatae sunt: sensationes colorum ac formarum iuxta sonorum, sonorum iuxta luminis, colorum iuxta gustus, colorum ac formarum iuxta caloris ac frigoris (temperatuur) stimulos persensos, colorum et luminis iuxta formas visas.

Binetum ophthalmiatrum puer quidam, cur vocalis *i* rubra esset rogavit.

Quidam Haydnii musicos modos cum audiebat viridem colorem videbat; opera Mozarti caerulea, Chopinii vehementer flava ei erant. Meyerbeer concentus sonorum Weberi purpureos dixit.

Facta illa quae pathologica dicuntur, viri docti e causis psychologicis deducere conati sunt. At verum fundamentum non in superficie illa, ut ita dicam, positum est. Observatum enim est, synaesthesias non nisi in illis sensationibus produci quae cum vivido affectu coniunctae sint, atque eo facilius prosilire quo homo obiecti studiosior est. Unde tuto concludere licet, causam primariam motum animi esse.

---

[1]) Studiën, 74, p. 432 sqq.

29. Motus autem animi idem est, sive „*acerbum* vulnus" sive „*acerbum* gustum" sentimus. In utroque casu metaphora proprie locum non habet, sed, quamquam sensatio altera ab altera toto caelo distat, eadem voce idem exprimitur. Sensatio enim aut repraesentatio motum animi tantum comitatur, motu animi eodem hic et illic in conscientiae centro haerente. Mirum profecto non est, eundem motum vocem eandem provocare.

30. Fuse ac multis argumentis Van Ginneken[1]) probavit, artem quoque mimicam motus animi exprimere, et varia lineamenta vultus cum in sensationibus tum in affectibus ostendendis eadem esse, ita ut etiam haec prae se ferant animi motus secum coniunctos. Quod observatum propositionem nostram non parum confirmat.

Itaque paulatim associatio inter lineamenta oris et motus animi necnon inter verba et motus animi effecta est. Inde contendere iam licet, translationem verborum de sensu ad sensum et metaphoras vocum proprie sensum indicantium facta psychologica esse.

Si ulterius procedere non dubitamus, etiam his verbis affectus exprimi nobis apparet. Coniunctio enim exsistit inter motus animi et motus quasi sensuum, quos partem affectivam sensationis diximus (gevoelstoon, h.e. zinnelijk gevoel). Associationes inter animi functiones quam fortes interdum sint multa exempla demonstrant[2]).

---

[1]) l. c.

[2]) Paulhan, Les Phénomènes affectifs et les lois de leur apparition, Paris 1887, p. 65: „Nous comprenons aussi facilement le fait de la production d'un sentiment par le fait de faire un mouvement associé à ce sentiment. On raconte que Campanella pouvait connaître ce qui se passait dans l'esprit d'une personne, en imitant son attitude et sa physiognomie. Dans l'hypnotisme, dans le sommeil artificiel, on observe des faits de ce genre, mais plus accusés".

Lehmann, Die Hauptgesetze des menschlichen Gefühlslebens, übersetzt von P. Bendixen, Leipzig 1892, p. 265 thesin ponit: „Die reproducierten Vorstellungen nebst den mit denselben verbundenen Gefühlstonen, gehorchen bei ihrer gegenseitigen Einwirkung auf einander und ihrem Einfluss auf andere Gefühle denselben Gesetzen, die für die durch aüssere Reize hervorgerufenen intellektuellen und emotionellen Elemente gelten".

Qui naturali igitur propensione actus fata *acerba* dicit, dummodo ad extremum usque res in animo partes agat, eundem animi motum experitur ac si fructum acerbum gustat. Praeterea, si synaesthesiis obnoxius sit, etiam gustus acerbus in ore re vera oriatur. Denique lineamenta vultus „acerba fata" dicentis non alii sunt ac fructus acerbos gustantis.

31. Nec res tam nova est, ut antiquos fugerit. Rectam sententiam Aelius Donatus praebet, ad versum Ter. Eun. 3. 2, 1: „Audire vocem visa sum" adnotans: „Omnes sensus visa dicuntur ab eo qui est certissimus". Recte etiam Lobeck [1]) adnotat: „Itaque fit ut res quae tactu cognitae sunt, cerni dicantur . . . . . Et quae auribus percipiuntur: loca vidi reddere voces [2]); mugire videbis terram et descendere montibus ornos [3]); quamquam hic etiam zeugma intercedit . . . . . nec raro poëtae verbum dirigunt ad antecedentia et adiuncta, ut Orpheus Lith. 699 de serpentibus loquens qui odore lapidis cuiusdam suffiti alliciuntur. Breviloquentiae condonatur Aesch. Agam. 987 (961) *πεύθομαι ἀπ' ὀμμάτων,* nam qui ita loquitur, animum ad illud tempus refert, quo auditis fidem derogaverat, *nunc iam non auditu solo, sed ipso adspectu cognosco* . . . . . A nostra autem consuetudine alienum est rerum quas natura discrevit, consociare vocabula, nuperque risum movit praedicator aulae germanicus, qui quum in ephemeride narrasset principem serenissimum typhlocomio nescio cui summulam pecuniae donasse, iactanter addidit nunc caecos illos gratis animis muneris auctorem *suspicere* . . . . . Iam, ut res consummetur, hoc amplius adiciam, verba quae rebus attributa sunt sensus moventibus, interdum ab altero sensu ad alterum transire, non omnia, sed praecipue *φαίνειν* et *λάμπειν.* Agam. 202, Eum. 539, Philoct. 202, Oed. T. 137. Canorum illud in voce splen-

---

1) Rhematikon, p. 338 sqq.
2) Lucret. 4. 581.
3) Verg. 4. 491.

descit etiam in senectute. Cic. de Senect. IX. 28. Populo romano vox et auctoritas consulis in tantis tenebris illuxit. Agr. I. 8. 24; sed hoc lenius, quia interiectum est „auctoritas". Et metaphora excusatur eiusdem locus, de Orat. II. 44: ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do".

Sic Lobeck per totam dissertationem procedit „De vocabulis sensuum eorumque confusione", in qua dissertatione non ad altissimos quidem fontes descendit, sed dicit: „operam dandam esse non solum ut censurae occurratur, sed etiam ut calumniae (e. g. Bentleji in Horat. I. 14)".

Atque hoc saltem adiungit, „veteres non omnia ad hanc curam et diligentiam scripsisse, sed *ingenio fretos* nonnulla abiecisse negligentius tamquam *μέλπηϑρα* criticorum".

Nihil iam addendum est. Veteres *ingenio freti* de sensu ad sensum transtulerunt idque saepe atque modis omnibus. Ingenium enim ad exprimendum idem factum psychicum idem verbum dictitabat: motus animi idem erat.

DE ADIECTIVIS „MAGNUS" ET „MULTUS".

32. Oscar Weise Romanos vehementer multitudinem atque quantitatem premere affirmat, cum Germani magis qualitati vim addant: Romanos e. g. cum adiectivo „magnus" coniungere: *exemplum*, *suspicio*, *preces*, *vox*, *causa*, *pax*, *hiems*, *occasio*, *coniunctio*, *usus*, *officium* [1]). Quibus exemplis haec addi possunt: magna pecunia, magnae copiae, magnum bellum, magnam iacturam facere, magnis itineribus, magna voce, magnus squalor, magnus locus, magna causa, magna quaestio, magna ratio, magnum aes alienum, magna potestas [2]).

---

1) Charakteristik der Lateinischen Sprache, Leipzig 1899. p. 7.
2) Nägelsbach l. c. p. 261 sqq.

Verg.: magnus amor, magnum os, magnum omen, magna manus; multa vis, multum numen, multus amictus, multa fama, multa morte, multa arte.

Horat.: magnus strepitus, magnus visus, magni triumphi, magnum spectaculum, magnum pretium, magna gratia, magnum studium, magnum opprobrium, magnus terror, magnus timor, magnae opes, magnus labor; multa vis hederae, multus dolor, multa aura, multus visus, multa libertas.

Sall.: magnum periculum, magna clades, magnum facinus, magna nobilitas, magnum gaudium, magna spes, magnus usus, magna virtus; multus labor, multum pretium, multus atque ferox instat, ad vigilias multus adest.

Tac.: multa experientia, multa auctoritas, multus in agmine, cet.

Multae litterae, multa nocte, multo mane, multo die, multus sermo; multum esse in aliqua re.

Weise ad l. l. adnotat, linguam Latinam particularum subiectivam animi affectionem exprimentium valde inopem esse.

Quod si cum Graeca lingua comparatur, profecto verum est. At causa nulla omnino exstat, propter quam haec adnotatio cum proprietate usus adiectivi *magnus* (et *multus*) conectatur. Ipse enim usus ille in animi affectione vertitur.

Romanos res multo plures ratione quantitatis conspexisse quam nos ubi dixeris, usum certe minime explicaveris. Etiamsi rem tantum primoribus labris attingamus, declarare non licere apertum est, hominem Romanum eadem mensura usum esse, cum „magna arbor" et „magnum exemplum" diceret.

33. Nec si audimus, adiectivum „magnus" metaphorice sive figurate saepe usurpari, res purior et dilucidior cernitur. Quin immo hoc argumentum, si quid aliud, futilitatem eius termini ostendit. Ubi enim hoc loco „tertium comparationis" lateat?

Quibus consideratis, dum probe tenemus linguam Latinam necessario eadem voce „magnus" idem exprimi voluisse, ad motus

animi, qui tot iam difficultates linguisticas solverunt, recurrimus.

Eo consilio repetamus, motus animi conscientiam τοῦ ego esse, quatenus aliquo temporis puncto agat. (Cf. § 8 et 9). Ad omnia igitur quae ago vel quibus afficior, motum animi sentio. Ago autem vel afficior, cum obiecta externa animum meum ad se assumunt.

Dicere supervacaneum est fieri posse, ut obiectum externum animum diverse occupet, sc. modo vehementius, modo lenius. Vim enim psychicam meam, quae eadem fere est atque attentio, *ambitus* obiecti externi vario modo sibi vindicat. Itaque cum vim meam psychicam insolito modo occupat, obiectum „*magnum*" dico.

Verum altius rem inspiciamus.

Illud quasi „occupatum esse" sentio atque experior, i. e. huius activitatis conscientiam insuper subiectivam habeo; quin etiam subiectivi motus animi ambitum activitatis mihi ipsi indicant. Quam, si solita maior est, „magnam" dico.

Cum autem res externa, etiamsi in spatium sese non extendat atque ambitum omnino non habeat, tamen vim psychicam insolitam in se convertere possit, motus animi subiectivi prorsus idem sunt et eundem ambitum prae se ferunt. Eandem vocem „magnus", quae vox propria demum motus interni facta sit, hic quoque prosilire quis est qui miretur?

34. Cum de abstracto quod dicitur, sermo est, res aliter se non habet. Sic enim fieri potest, ut dolor quoque vel gaudium altitudine insolita multo maiorem attentionem in se convertat. Vim igitur psychicam magno dolore occupatam esse cum sentio, quid aliud dicam quam activitatem subiectivam meam „magnam" esse?

Ulterius hic quaeri posse, unde haec „tendentia" proveniat, qua animus modico gradu occupatus esse velit, ita ut aliquid solito maius acriter animadvertat equidem non nego. At ad rem nostram nihil refert. Ostendisse, hac „tendentia" supposita et iure merito supposita, in qualibet activitate, sive interna sive externa, motus animi semper et ubique quantitatem occupatae energiae psychicae testari satis est.

Necesario tum sequitur, ut homo cui hic animi motus in conscientiae centro versetur, eodem verbo utatur.

Inde larga illa locutionum copia, quibus voces „magnus" et „multus" occurrunt.

Proprietatem Latini sermonis de qua hoc capitulo actum est, observatio modo facta mire elucidat[1]), atque ego ingenium Latinitatis perscrutatus novitate rerum laetissimus ulterius iam progredior.

DE VERBIS AFFECTUUM IMPERSONALIBUS.

35. Quidquid de verbis impersonalibus iudicatur, impersonalia caeli temperationem significantia locutiones esse fere primigenias negare non licet.

Wundt[2]), necnon Rozwadowski[3]), qui multis locis illi adversatur, tenent, impersonalia primitus sententias bimembres fuisse: non igitur exclamationes fuisse quales „pluviam", „nivem", sed ex phrasibus bimembribus simplices emanasse quasi densatas vel spissatas; nihil dubii relinqui quin impersonalia maneant verba (ῥήματα).

Van Ginneken[4]) hic tangere „apprehensionem illam simplicem" scholasticorum sibi videtur; atque argumenta quibus probare conatur, eiusmodi locutiones indicare: aliquid esse, praeclara ac dilucida sunt. Omnibus perpensis, ego, linguisticae recentioris haud multum peritus, in hanc ultimam opinionem inclino. Quamquam ad id quod hic producere in animo habeo, haec sententia commodior videtur, non tamen id a priori opinione ita abhorret, ut vim suam ac rationem omnem iam amittat.

---

[1]) In quibusdam casibus quidem imitationem esse Gr. μέγας et πολύς, id quod Nägelsbach per transennam dicit p. 261, non nego. Sed haec imitatio eundem animi habitum apud Romanos antiquos supponit. Praeterea usus in lingua Latina multo latius se extendit.

[2]) Völckerpsychologie II. Die Sprache II, p. 223 sqq.

[3]) Wortbildung und Wortbedeutung. Heidelberg 1904, p. 73.

[4]) Cf. i. a. „Anthropos" 1911, p. 349 sqq.

Designare enim velim insignem Romanorum amorem locutionum impersonalium, ubi affectus vel, ut nos diximus, motus animi exprimere volunt:

pudet, piget, paenitet, taedet, miseret, lubet, licet, placet.

Notatu dignum est, haec verba typum verborum quae tempestatem indicant, prae se ferre. Iam inde ab antiquis temporibus has expressiones simplices esse nec quidquam aliud nisi actum vel statum continere unicuique patet. Quae cum ita sint, verba affectuum eadem forma praedita animi attentionem non in se convertere non possunt. Hoc enim phaenomenon docet, Romanos illa quoque ut actus aut status sui iuris sensisse.

36. Vis igitur argumenti in identitate usus sita est: Verba tempestatis et affectuum verba a lingua in eodem genere ponuntur.

Quid inde sequitur?

Efficitur, Romanos motus animi ut actus non aliunde pendentes sensisse, aeque ac pluviam vel nivem cadentem. Quod fulcit confirmatque id quod iam saepe ex hoc opusculo cognosci potuit, motus animi in lingua expressa locum insignem obtinere: nempe Romanos id quod extra atque id quod intra eos erat, eodem modo conspexisse.

Si autem impersonalia formas primigenias sermonis ducimus[1], hic usus altius in temporum noctem se extendit; sin minus, saltem admodum prisca aetate motus animi Romanos iam vehementer affecisse statuere pro certo licet.

DE INTERIECTIONIBUS.

37. Interiectiones voculas esse motus animi exprimentes non est quod probem. Lingua autem Latina latam interiectionum aciem explicat, earum quae ad dolorem enuntiandum accommodatae sint: *o, heu, eheu, ah, hei, ohe, au, proh, vae.*

Iure haec ad Romanorum austeritatem et quasi „pessimismum"

---

[1]) De qua re cf. etiam „Anthropos" 1911, p. 349 sqq.

demonstranda[1]) afferri possunt. Quae austeritas insuper et e multis aliis et ex eo quod Romani posterioris aetatis ad Stoïcismum inclinabant abunde apparet.

Sed interiectiones, si quid aliud, *immediatae* animi enuntiationes sunt. Cum autem abundantia talium rerum in ipso sermone urbano occurrat, non abs re est, motus animi a Romanis facile et sponte enuntiari.

Quod vero interiectiones gaudium indicantes maxima ex parte e lingua Graeca depromptae sunt, demonstrat quidem, gaudia ingenii Romani non esse, sed dictam enuntiandorum motuum animi proclivitatem omnino non minuit. Immo vero ob ipsam eam causam, qua gaudia semel animum Romanum cum cultu atque humanitate Graecorum ingressa omni modo prorumpere conabantur, Romani tam multas interiectiones gaudii a Graecis mutuati sunt, v. c.: *evoe*, *euax*, *eu*, *euge*, *eia*.

Quae omnia amplius comprobant propositionem nostram, motus animi Romani vehementes fuisse et sponte ac fortiter foras erupisse.

DE RERUM NATURAE CONTEMPLATIONE.

38. Rerum naturae varietas multis gentibus varia nomina obiectorum externorum suggessit. Lingua autem Latina eiusmodi nominibus pauperrima est.

---

[1]) Abel, Sprachwissenschaftliche Abhandlungen, p. 25: „Ein Volk, das viele Wörter für irgend eine sinnliche oder geistliche Vorstellung hat, muss sich viel mit derselben beschäftigt, muss sie durch mancherlei Seiten hin entwickelt und nuanciert haben".

Etiam J. M. J. Valeton, De Romeinsche historiographie in verband met het Romeinsche karakter, p. 13, hoc penitus moribus Romanorum insitum signat. Quod autem inde deducit, mihi quidem inanes vocis soni videntur: „Vandaar het ritualistische, het uiterlijke van hun godsdienst" (nl. uit hun streven naar zelfbehoud). Ac paulo inferius loquitur de eorum „gebrek aan zin voor waarheid en ingeschapen streven naar zelfbehoud. Daardoor werden ze kinderachtige letterknechten, leeuwen op 't slagveld, administratieve genieën in den senaat, bewonderenswaardige juristen op den praetorszetel". (!!!)

Primum de visu videamus quam pauca verba quidquam indicent. Lingua Latina nimirum colores, qui principales et crassi dici possunt, distinguit; sed transitus colorum, umbrae et recessus in Romanorum mente vestigium non reliquerunt[1]). Quod Aulus Gellius[2]) egregrie demonstrat: „Cum ibi apud Frontonem, plerisque viris doctis praesentibus, sermones de coloribus vocabulisque eorem agitarentur, quod multiplex colorum facies, appellationes autem exiguae et incertae forent, „Plura sunt, inquit Phavorinus, in sensibus colorum quam in verbis vocibusque colorum discrimina. Nam, ut alias eorum concinnitates omittamus, simplices isti „rufus" et „viridis" colores singula quidem vocabula, multas autem species differentes habent. Atque eam vocum inopiam in lingua magis Latina video quam in Graeca; quippe qui rufus color a rubore quidem appellatus est, sed, cum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum, aliter crocus, has singulas rufi varietates Latina oratio singulis propriisque vocabulis non demonstrat, omniaque ista significat una ruboris appellatione" . . . . Tum Fronto ad Phavorinum: „non infitias, inquit, imus, quin lingua Graeca, quam tu videre legisse, prolixior fusiorque sit quam nostra; sed in iis tamen coloribus, quibus modo dixisti, designandis, non perinde inopes sumus, ut tibi videmur," (quae tamen affert, maiorem partem Latina lingua a Graeca mutuata est, nec ego, ut Phavorinus, ex hac Frontonis disputatione „scientiam eius rerum uberem verborumque elegantiam exosculatus essem"). Atque alibi idem Gellius[3]): „Adie-

---

[1]) Cf. H. Schulz, Das koloristische Empfinden der älteren Griechischen Poësie, Neue Jahrbücher f. d. klass. Altertum 1911, p. 11 sqq. qui argumenta sumi negat ex colorum nominibus, at ipse argumenta depromit ex „das koloristische Differenzierungsvermögen der Dichter von Ilias und Odyssee und ihr Empfinden für die Schönheit der Farbe „und der Farbenharmonie".

In Berliner philologischer Wochenschrift 1911, p. 333, recensetur liber: S. Ehrenfeld, Farbenbezeichnungen in der Naturgeschichte des Plinius, quem non vidi, sed mihi parum prodesse posse opinor, quod non nisi „Materialiënsammlung" est.

[2]) N. A. 2, 27, 5.

[3]) N. A. 11, 16.

cimus saepe animum ad vocabula rerum non paucissima, quae neque singulis verbis, ut a Graecis, neque si maxime pluribus eas res verbis dicamus, tam dilucide tamque apte demonstrari Latina oratione possunt quam Graeci ea dicunt privis vocibus."

39. Flores et ea quae e terra gignuntur rarissime nomina propria et quasi nativa habent, qualia sunt: *bellis*, *feniculum*, *papaver*, *lappa*, *lolium*, *amelles*, *convolvulus*, *cicuta*, *carex*, *ambubeia* sive *ambuvia*.

Quid vero? Sunt etiam inter nomina speciem Latinam praebentia quae a Graeco sermone vere translata sunt: *ranunculus* a *βατράχιον*; *viola* a *ϝίον*; *lilium* a *λείριον*; *rosa* a *ῥόδον*; *serpullum* ab *ἕρπυλλον*. –

40. Eodem tenore defectus epithetorum ornantium habendus est. Haec enim epitheta ob oculos ponunt, quae obiectorum externorum sunt propria et cogitationem graviter percutiunt. In hac autem re lingua Latina male se habet, quod praesertim in poëtis cernitur, qui epitheta ornantia fere nesciunt et, si utantur, paene semper Graecos imitantur.

Quin haud raro vim effingendi, quae Graeco vocabulo inest, vox Latina respondens plane amisit, ut si ponitur *celer* pro *πτερόεις*, *pulcher* pro *καλλίρροος*, *vigil* pro *ἠριγενεία*, *versutus* pro *πολύτροπος*, cet.

Veteres nominibus compositis ut epithetis saepius utebantur:

Plaut.: merobibus.

Enn. (Lucr. Verg.): armipotens, bellipotens.

Pacuv.: incurvicervicum pecus, Nerei repandirostrum.

Postea inveniuntur: foedifragus, pudicolor, nocticolor, trisaeclisenex, dulcioreloquus, multigrumis[1]).

41. Sed cum partim comice, partim Graecos imitando eiusmodi vocabula adhiberent, ingenium Romanum inde non ostenditur.

Praeterea nec Plautum nec Pacuvium nec Ennium a matre linguam Latinam didicisse, sed Plautum a puero Umbrice, Osce Pacuvium et Ennium locutos esse contendere atque affirmare licet.

---

1) N. A. 19, 7.

Atqui Quintilianus[1]) rem acu tetigisse videtur, scribens: „Compositio magis Graecos decet, nobis minus succedit, *nec id fieri natura* puto, *sed alienis operis* ideoque cum *κυρταύχενα* mirati sumus, *incurvicervicum* vix a risu defendimus."

42. Re vera vir Romanus sua opera magis motum animi eloquebatur, diversitatem obiectorum externorum lingua exprimere non solebat: erat multus in actis *suis*, in exterioribus non item, Q. E. D.

At dixerit quispiam: Cum in sermone epithetis ornando poëtae Romani nihil pulchri produxerint, nonne comparationibus perpetuis aliquid magni praestiterunt?

Respondeo: descriptiones amoenas Homeri, dein Vergili legas, e. c. Aen. 8, 607–731 scuti Aeneae, a Volcano fabricati; nil nisi aridi ac mortui quin videas non dubito – contra apud Homerum in scuto Achillis nil nisi vividi vegetique.

Fateri oportet, hoc quoque genere Romanos longe minores fuisse.

43. Romanos externa neglexisse, ad interna explicanda atque enodanda magis propensos fuisse paulatim iam magis magisque elucere incipit.

Hic observationem illam confirmare possum, obiter asseverans affatim verborum praesto esse, ubi de sensibus nostris magis subiectivis, de odore, gustu, tactu agatur, cuius rei exempla afferre superfluum est.

Ea igitur, quam modo dixi, causa altissima est, propter quam Romani a Graecis res externas nominibus quasi effingentibus longe superentur. At motus animi observant, dissecant, exprimunt. Seneca indidem praeclare dicit, cum de „linguae Graecae gratia", de „linguae autem Latinae potentia" loquitur[2]).

Potentia linguae sine dubio e motibus animi vehementius prorumpentibus provenit. Quae potentia videlicet plena non adest nisi in

---

[1]) Instit. or. 1, 5, 70.
[2]) Cons. ad Pol. 21, 6.

viva voce; sed lingua ipsum illud flumen verborum est, ut ex ore procedit cum omnibus quae motus animi hominis loquentis in lucem proferunt [1]).

Si quis igitur generatim definire vult, linguae Latinae quid sit proprium, primo videat necesse est eius *potentiam.*

Potentiam autem eius enucleare atque indicare imprimis psychologiae est.

Praeterea linguam Latinam psychologice perscrutati, illam linguam scilicet quae scriptis ad nos pervenit, etsi nonnulla eruimus animum eius indicantia, magnam tamen partem nos fugisse fatendum est, quandoquidem *potentia* inprimis vivae voci inhaerebat. Ratio planior est atque ut altius in linguae Latinae naturam penetremus efficit quam illud quod vulgo in libellis occurrit, linguam Latinam foro et iudiciis inservisse et monumenta eius magis audientibus quam legentibus accommodata esse.

DE PARALLELISMO MEMBRORUM ET CONCINNITATE.

44. De linguae Latinae *potentia* cum mentio facta sit, de parallelismo membrorum deque iis quae cum eo annexa sunt loqui consentaneum esse videtur.

Si quis paulo attentius enuntiata auctorum, praesertim aetatis aureae, perlegat, inprimis si clara voce id faciat, ut capitulo praecedenti

---

1) Iure Woltjer, 't Woord, zijn oorsprong en zijn uitlegging.
„Thans echter zal wie het in eene doode of ook in eene levende taal geschrevene moet uitleggen, wèl doen, zoo hij spraak en schrift onderscheidt en het geschrevene woord zich eerst als gesproken voorstelt. Het spreekt van zelf, dat dit altijd slechts gebrekkig geschieden kan; want *wat het gesproken woord begeleidt en er hooger leven aan geeft:* de houding, het gebaar, de uitdrukking van 't gelaat, in 't bijzonder de blik der oogen, *de buiging van de stem* kan niet in eigenlijken zin worden gereproduceerd. Niettemin voert reeds het overbrengen van het geschrevene in het gehoorde een schrede nader tot het levende woord."

commendabatur, percipiat necesse est quendam membrorum parallelismum.

Audiat haec:

„Est haec non scripta, sed nata lex."

„Ad quem non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus."

Talem, membrorum aequalium compositionem Cicero ipse [1]), qui in oratione pro Milone verbis usus est, *concinnitatem* dicit. Multa alia exempla afferri possunt:

„Si armis aut condicione positis aut defatigatione abiectis aut victoria detractis civitas respiraverit." [2])

„Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio." [3])

„Quid tam admirabile quam populi motus, iudicum religiones, senatus auctoritatem, unius oratione converti?" [4])

„Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius quam disertorum oratione delenitum, se oppidis moenibusque saepsisse?" [5])

„Qui ita vivo, ut ab nullius umquam me tempore aut otium meum abstraxerit aut voluptas avocarit aut denique somnus retardaverit." [6])

„Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris adventum cum illius imperatoris victoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu invicto, huius libidines cum illius continentia; ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas." [7])

---

1) Orat. 49.
2) Cic. ad Div. 6. ep. 2 § 5.
3) Catil. 1, 11.
4) De orat. 1, 5.
5) „ 1, 9.
6) pro Arch. 6.
7) Contra Verr. 4, 52. Exemplum *numeri* a Cicerone ipso memoratur. Orat. 5, initio.

Denique initium orationis pro Archia addam, ubi aequatio partium ad extremum perducta est:

„Si quid est in me ingenii (iudices)
quod sentio quam sit exiguum
aut si qua exercitatio dicendi
in qua me non infitior mediocriter esse versatum,
aut si huiusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta,
a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse,
earum rerum omnium vel inprimis hic A. Licinius fructum a
me repetere prope suo iure debet." [1])

Haec omnia a Cicerone uno desumpta sunt. At vero Cicero non unicus nec primus fuit in hoc ornatu adhibendo. Inventores *numeri* (hoc enim nomen rei inditum est) habentur Thrasymachus et Gorgias Leontinus; postea Isocrates, Gorgiae discipulus, numerum perfecisse dicitur. Rem autem non aptam ac paratam ab aliquo introductam esse argumentis non eget, immo „evolutionem", ut hoc nomine hodierno utar, apud auctores Romanos tam solutae quam vinctae orationis subiit.

45. Cum hoc parallelismi amore id cohaeret, quod Romani coniunctionibus inter se respondentibus favent: *et .... et*, *vel .... vel*, *aut .... aut*, *non solum .... sed etiam*, aliis, necnon correlativis quae dicuntur: *quot .... tot*, *quantus .... tantus*, e. a.

Ex eadem radice locutiones illae bimembres, tam arte conexae ut coniunctionis non indigeant, procrevisse apertum est, quales sunt: *velitis iubeatis*, *purus putus*, *semel saepius*, *voce vultu.*

Praeterea figuram quae dicitur *Hendiadys* ex eodem fonte derivari mihi persuasum est.

---

[1]) Nota verba disyllaba cum ictu in paenultima, quae fini gravitatem addunt: própe súo iúre débet.

46. Sed si qui alii cum Weisio[1]) hoc ex ingenio praecipue intellectuali Romanorum provenire contendere velint, toto caelo errent. Idem enim usus similisve apud alios quoque populos occurrit, quamquam minus frequens, nec linguae Latinae nec solum linguis antiquis proprius est. Quae cum ita sint, iam statim pro certo affirmare possumus, hanc bipartito dividendi rationem nequaquam e deliberatione intellectuali profluere.

Res tamquam digito monstrat *legem rhythmicam* quam dicunt, in qua lege indaganda atque illustranda psychologi recentiores multi sunt, qui cum naturam legis explicantes non mediocriter discrepent, eam exsistere omnes consentiunt: et Ebbinghausium et Wundtium et Theod. Lippsium et alios vis huius legis ad multa phaenomena explicanda minime fugit.

Lex rhythmi haec est: Aliquid commune discriminatur, videlicet unus aut plures actus psychici, primo secreti atque separati, inter se coniunguntur et unum aliquid collectivi efficiunt. In ista autem serie membra subordinata aequalitatem perdunt aut, si iam disparia sunt, inaequalitas augetur extenditurque. Continuo haec dispositio ulterius progreditur: dispositiones et relationes superiores formantur, ita ut intra eas novae series fiant. Quasi igitur per gradus a summa ad extrema descenditur.

Phaenomenon suum locum habet, ubi motus animi vehementiores sive affectus verbo in lucem prodeunt. Ita sermo hominum quasi fluctuatio evadit.

Partes sermonis singillatim inspiciamus.

Quod in sermone aliquatenus propriam vim nec aliunde pendentem habet, quod ante se et post se parvam moram habet silentii, fluctus simplex est. Vox quae maxime acuto sono praedita est, caput fluctus est; ceterae, quae lege rhythmi sonum naturalem minuerunt, fluctus declivitatem effingunt.

---

1) l. c. p. 29.

Talis sermonis, sermonis scilicet ligati, pars est pes versus. At etiam sententia simplex quae dicitur, quamquam saepe ex diversis fluctibus constat, tamen ipsa quoque fluctus est. Tamquam arsis sententiae vel caput fluctus ibi reperitur, ubi voces quibus maximus animi motus inhaeret, occurrunt. Ut summatim loquar, hi loci sententiae Latinae initium et finis sunt; quocirca ibi subiecti et praedicati sedes esse legitimas admirationem nequaquam movet.

Itaque linguae Latinae periodus simplex natura sua formam cretici — ◡ — prae se fert. Sed varias causas varias formas efficere posse et reapse haud raro efficere non est quod ostendam.

Sententiae compositae etsi formas multo implicatiores habent, nihilo minus, si tamquam unum aliquid cogitantur, id quod re vera sunt, arsin unicam praebent, videlicet sententiam eam quae in animo primas partes agit, quae ipsa quoque rursus in arsin et theses dividi potest. Ceterae sententiae totius periodi theses sunt, quae ipsae quoque rursus arsibus ac thesibus constant.

47. Hucusque res in confesso esse mihi quidem videtur.

Quodsi aliis quoque id quod proposui placet, ut penitus nos in causam insinuemus eos invitare velim. Iam ponamus, cogitationem aliquam diutius in mente nostra haerere; quo casu aliquatenus quidem natura mutatur verum maxima ex parte eadem exsistit.

Deinde faciamus, nos cogitationem, qualis primum se mente obtulit, verbis enuntiasse.

Posthac autem in mente manet, haeret, stat. Quid magis congruum est quam quod denuo eandem sententiam paululum mutatam voce exprimamus?

Sed hoc menti infigas, me cogitationem stando mutari dixisse, quandoquidem in vita psychica stabilitas numquam occurrit. At tamen, etiamsi cogitatio ipsa non prorsus eadem exsistat, motus animi ipsi inhaerens omnino non mutatur.

Ergo sequitur, ut in nova sententia vel in sententiae parte motus animi, quos aperiri tono et quasi arsibus iam apparet, eandem

formam efficiant, h. e. ut sententia in eandem formam redigatur.

48. Ut syllogismi minorem comprobem multis verbis mihi opus non est. Unusquisque nostrum, se alumnum gymnasii multo sudore in pensum Graecum Latinumve incumbentem verbum vernaculi sermonis proprium invenire non potuisse meminit: iterum atque iterum verbum antiquum in mentem recurrisse, verbum patrii sermonis consentaneum fugisse; ita autem cogitationem eandem stare. Transferre est munus quod exsequi non possumus. Quod opus si aggredimur, nihil nisi *appropinquare* sensui verborum transferendorum conamur. Conatus identidem nos repetere in promptu manifestumque est [1]).

Prorsus idem in sententiis enuntiandis nonnumquam evenire par est. Cogitationem enim interdum omnibus partibus exprimere non possumus atque iterum ac ter verba faciamus oportet, ut res quae in mente versatur penitus aperiatur.

49. Haec res et transferentibus in linguam peregrinam saepissime occurrit et ceteroqui naturae consentanea est. Tam parallelismus membrorum, frequens in lingua Latina, quam figura quae Hendiadys dicitur ab eodem fonte oriuntur.

Quod manifestius est quam ut in probando tempus consumam. Ad confirmandam explicationem nostram duo alia argumenta afferam, alterum psychologicum, linguisticum alterum.

In psychologica disciplina et alias et legem „inertiae" ratam offendimus, quae lex est: Dispositio cerebri, nisi a ceteris rebus limen conscientiae obsidentibus vincitur, non mutatur [2]).

Itaque sequitur, in mente nostra id quod maiorem habet energiam, manere ac stare. Quis est qui non aliquando per totas horas eosdem

---

[1]) Wilhelm von Humboldt dixit: „Alles übersetzen scheint mir slechterdings ein Versuch zur Auflösung einer unmöglichen Aufgabe". Cf. quoque Cauer, Die Kunst des Übersetzens Cap. I Begrenzung der Aufgabe.

[2]) Van Ginneken, l. c. p. 250.

modulos musicos fere volens nolens cecinerit? Actus enim psychici vi non absolute quidem, sed relative libera praediti sunt.

Etiam haec lex ad cogitationum earundem quae menti inhaerent aequalem enuntiationem fere propellit [1]).

Alterum argumentum linguisticum est: Aequatio partium allitterationem induxit in multas huiusmodi locutiones: *purus putus*, *semel saepius*, *voce vultu*, *loca lautia*, *pastus et potus*, *de caelo in coenum;* saepe etiam eundem exitum vocum: *gemens et tremens*, *villam cellamque.*

Qui ultimus enuntiandi modus a Frontonianis in sententiarum membris adhibetur atque ab Apuleio necnon a Tertulliano quam strenuissime excolitur. S. Augustini quoque orationes earum rerum adeo plenae sunt, ut editores non immerito de „Gereimte Prosa" loquantur [2]). Etiamsi quis affecto huic stilo notam corruptarum litterarum inurere velit, Romanos ad usum talem propensos fuisse hae quoque ineptiae ostendunt.

50. De clausulis aliquo modo huc pertinentibus, quas postquam Zielinski apud Ciceronem perscrutatus est, alii in aliis auctoribus investigarunt, idem fere dici potest. Itaque his insistere supersedeo.

Syllogismi minor iam satis superque comprobatus esse videtur. Unde conclusio de motibus animi hic per parallelismum et numerum et hendiadyn et allitterationem viam sibi aperientibus urget ac premit.

At ante quam ad alia transeam, Ciceronem ipsum pro re nata idem sensisse atque enuntiasse paucis absolvere lubet. Praemittam, Ciceronem fundamentum psychologicum potius procul sensisse

---

[1]) Van Ginneken l. c. p. 380–384 amplius contendit, aliis praeëuntibus, proclivitatem aequandarum omnium sermonis perpetui portium vere primitivarum.

[2]) Ita n⁰. 13 ex: Kleine Texte für theolog. Vorlesungen und Übungen, herausgegeben von Hans Lietzmann: Ausgewählte Predigten II. Fünf Festpredigten Augustins in gereimter Prosa, von Lietzman. Hunc libellum inspiciens statim, quod sonus rediens typis cursivis expressus est, cum frequentem huius rei usum tum parallelismum largum membrorum internoscas.

quam penitus vidisse. In libro enim de Oratore quod re posterius est prius attigisse videtur, ubi dicit[1]: Continuatio verborum multo est aptior ac iucundior, si est articulis membrisque distincta quam si continuata ac producta." Aperte hic *κῶλα* vult quae reapse ad motus animi, qui tamquam fluctus sunt, exprimendos idonea esse videntur. Animadvertendum autem est, motus animi quando vehementiores adsint, naturaliter in *κῶλα* erumpere.

51. At aliis locis verius de his rebus exposuit. Licet clausulas a reliquis de quibus hoc capitulum agit, non satis clare distinguat atque quantumvis ambigua incertaque sint quae fuse de *numero* et *concinnitate* disputat, nihilominus ea, quae Cicero in libris rhetoricis crebro attingat huc pertinere nemo neget.

Non tamen excuso et toto animo concedo, Ciceronem multa quae externa sint nec rei essentiam tangant scribentem phaenomenon hoc psychologicum, florem ac gloriam linguae Latinae, etiam apud posteros ad artificium depressisse. At nihilosecius eundem elementum psychologicum certissime vidisse contendo atque affirmo. Scribit enim[2]: „Illud autem ne quis admiretur, quonam modo haec vulgus imperitorum in audiendo notet, cum in omni genere tum in hoc ipso *magna quaedam est vis incredibilisque naturae.* Omnes enim tacito quodam sensu sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus ac rationibus recta ac prava diiudicant; idque cum faciunt in picturis et in signis et in aliis operibus, ad quorum intellegentiam *a natura minus habent instrumenti*, tum *multo ostendunt magis in verborum, numerorum vocumque iudicio*; quod *ea sunt in communibus infixa sensibus* nec earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. Itaque non solum verbis arte positis *moventur* omnes, verum etiam *numeris ac vocibus.* Quotus enim quisque est qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paululum modo offensum

---

1) De Orat. III, 186.
2) De Orat. III, 50, 195–52, 199.

est, ut aut contractione brevius fieret aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid, hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo non modo catervae atque concentus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes eiciantur? Mirabile est, cum plurimum in faciendo intersit inter doctum ac rudem, quam non multum differat in iudicando. *Ars enim* cum a natura profecta sit, *nisi natura moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur. Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris quam numeri atque voces* ..... Itaque illi veteres, sicut hodie etiam non nullos videmus, cum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent (nam id quidem nuper vel posse vel audere coepimus) terna aut bina aut non nulli singula etiam verba dicebant qui in illa infantia *naturale illud*, quod aures hominum flagitabant, *tenebant tamen*, *ut* et *illa essent paria*, quae dicerent, et *aequalibus interspirationibus* uterentur."

52. Et alio loco[1]): „Aures enim, vel *animus aurium* nuntio *naturalem* quandam in se continet *vocum* omnium *mensionem*. Itaque et longiora et breviora iudicat, et perfecta ac moderata semper exspectat. Mutila sentit quaedam et quasi decurtata, quibus tamquam debito fraudetur offenditur .... Ut igitur poëtica et versus inventus est *terminatione aurium*, *observatione prudentium*, sic in oratione animadversum est, multo illud quidem serius, sed *eadem admonente natura*, esse quosdam *certos cursus conclusionesque verborum*. Quoniam igitur *causam* quoque ostendimus, *naturam* nunc (id enim erat tertium) si placet, explicemus; quae disputatio non huius instituti sermonis est, sed *artis intimae*."

Verba commemorata satis superque demonstrant, Ciceronem phaenomenon ut psychicum perspexisse. Natura in eius scriptis numeros perfecit neque concinnitate membrorum velut instrumento animos movendi usus est, unde fit ut in eius orationibus ea miram suavitatem producat.

1) Orat. 53, 177–179.

53. Quantam vim ac vigorem concinnitas sive numerositas orationibus addiderit, quam vehementer animos audientium delectaverit moveritque suspicari possumus.

In disputationis fine concedendum est, Romanos, Cicerone ipso teste, numeros orationis non invenisse. Sed id laudem nihil detrectat quod Cicero „numerum" hunc ut naturalem perspexit quodque Romani illam concinnitatem et hendiadyn excoluerunt adeo ut factae sint flumen ingens [1]).

Non alia de re Cicero haec excoluit quam quod vidit, ut ipse declarat, hisce modis aliquid psychici aperiri.

Posteri quoque Ciceronem imitati sunt, quod numeris illis motum animi contineri tam plane ac dilucide perspexerunt itaque per totam Latinitatem illud permansit quod Romanorum linguae notam rhetoricam impresserit.

Itaque parallelismus membrorum, hendiadys, talia fundamento psychico – non logico nituntur neque ingenio intellectuali adsignanda sunt, sed quod aliis populis modica ratione accidit, id Romani altius senserunt verbisque ubertim mandaverunt.

DE VERBORUM LUSU.

54. Lusum verborum Romanis acceptum frequentemque fuisse quivis, quamvis modice linguae Latinae notitia imbutus, statim agnoscet.

Praesertim apud comicos et oratores vigebat florebatque. Cicero in his multus est; cuius in scriptis inter multa acute dicta non raro invenias sensu omni carentia [2]). At vero neque ipsi poëtae epici nec lyrici ab hoc ornamentorum genere abhorrent.

---

1) Weise l. c. p. 39. „Das ἓν διὰ δυοῖν entwickelt sich nach und nach zu einer gewaltigen Macht."

2) In ipsius quidem scriptis multa reperias; sed etiam non pauca a Plutarcho collecta sunt in „Vita Ciceronis" passim. Et scimus a Tirone liberto confectos esse „Tres libros facetiarum Ciceronis".

Quid autem propensio ista ad lusus verborum de psyche Romanorum indicet equidem me non videre fateor. Sed num omnes ex eodem fonte manent dubito; asseverare tamen nihil ausim. Verum minime intellego quomodo Oscar Weise[1]) uno loco scribere potuerit: „Bei einem Volke, dessen *Intellekt* so stark entwickelt ist, kann die Vorliebe für das Wortspiel nicht befremden"; et alio loco: „Eine andere Seite des Gemütslebens ist die fröhliche Ausgelassenheit des Landmanns zur Zeit der Ernte und bei andern Gelegenheiten, die im Verein mit der Lust an neckischem Spiel sehr bald zur Einführung volkstümlicher Spiele wie Fescenninen, Saturä, Mimen and Atellanen Veranlassung gab. Besonders gross ist die Neigung zu *Witzen* und *Wortspielen.*" Ex toto contextu patet, posteriore hoc loco lusum verborum afferri tamquam argumentum rei quam demonstrare sibi proposuit: „Von den vier Seiten des Geisteslebens ist Phantasie und *Gemüt* beim Volke entschieden stärker ausgeprägt als Verstand und Wille," et paulo inferius[2]): „das *uberwiegende Gefühlsleben* übt jene wolthuende Anziehungskraft aus, die uns die Sprache des Volkes so anheimelnd, so lieb und wert macht." Sententias tamen illas utpote sibi contrarias iungi copularique non posse evidens est.

55. Quidquid est, inclinatio ac propensio nostra celeritatem associationis designat, sive ea est associatio per contrarium, quo paradoxa illa Stoïcorum pertinent: omnem sapientem, licet sit pauper, tamen divitem, et, licet sit servus, tamen regem esse[3]); vel illud Ciceronis: cum tacent, clamant[4]); notum hoc de Fabio Maximo: Cunctando restituit rem, — sive associatio similitudinis verborum, sub quo capite referenda sunt quae Cicero de Verre machinatur: negabant mirandum esse, ius tam nequam esse Verrinum; — sive aliis modis fit.

---

1) l. c. p. 30 et p. 129.
2) l. c. p. 130.
3) Cf. Horat. Sat. II, 3.
4) Catil. I, 21.

Hanc autem celeritatem indicium esse, quam falsum sit id quod saepe contenditur, Romanos fuisse immobiles, non est quod notem. Quin etiam mobilitatem velocitatemque ut non sensuum, ita operationum mentis demonstrat. Itaque hoc caput saltem negativum argumentum praebet propositionis nostrae, Romanos maxime vires animi excoluisse atque re vera lingua promptos fuisse ad exprimenda ea quae sine sensu in conscientiae campo partes agunt, in primis motus animi.

DE METAPHORIS IMPROPRIE DICTIS.

56. Hucusque de duabus tantum quasi regionibus inquirendi et investigandi hominum actus sermo fuit: de rebus sive obiectis externis, de hominis interno sive animo. Indaganti autem mihi sponte sese propositio obtulit, Romanos fuisse homines, ut ita dicam, internos. Quod si verum est, ingenium Romanum clarum perspicuumque evadat necesse est. Et si non omnes, at multas proprietates ex unico fonte manare suspicari incipias.

Sensatio enim externa cum variis suis aspectibus animum Romanorum non vario modo affecit, sed „viri illi fortes et strenui" studiose in conscientiam vim psychicam direxerunt. Id, ut par est, perfecerunt retro in seipsos inspiciendo.

In parte autem operis mei, licet mihi praefari (ut T. Livii verbis utar), tertium iam campum industriae hominis patere, dico *empathiam* (Einfühlung, invoeling), quod nomen iam semel bisve protuli.

Compluribus modis empathia fieri potest [1]).

Sicut fieri potest, quod supra demonstratum est, ut gaudio vel dolore afficiar re aliqua quam a me distinctam percipio, ita etiam laetum aut tristem esse licet *in* aliqua re. Haec est empathia notione latissime sumpta.

---

[1]) Cf. Lipps Leitfaden, p. 193 sqq. Vom Fühlen, Denken und Wollen, p. 235 sqq. Ebbinghaus Abriss, p. 150.

Quae empathia vult: sentio *in* aliqua re percepta, re vera ut in illa iacentem, stimulum quendam ad talem actum interiorem.

Deinde cum quaeritur, quando sive in quibus obiectis percipiendis haec empathia locum habeat, distinctionis ratio reperitur.

57. Ratio obiecta externa animandi primo hoc modo procedit:

Obiectum externum sua dispositione mentem meam invitat, ut tamquam totum atque unum aliquid percipiatur. Quodsi fit, meos ipsius actus, multos et varios, in unum colligo. Unitas meum ipsius opus est, et tamen unitatem externam offendere mihi videor. Ita e. g. via fit mihi quasi individuum.

Hoc procedendi modo primus gradus factus est: obiectum externum animatum est atque ita mihi quasi alterum ego evasit.

At saepe hic non stamus. Etiam intra nosmet ipsos aliquid percipimus. Intra nos scilicet nostrum „ego" actus profert. Ratiocinamur tali modo: nostrum „ego" actus externos et internos producit; ergo alterum „ego", obiectum illud externum inanimum, etiam actus externos et internos habet. Sic ei actus assigno, qui ab ipso obiecto facti videntur.

58. In hac empathia, ceteris speciebus praeteritis, paululum insistere velim.

Empathia hac impulsus Cicero de terra dicit[1]: „quippe quae gravidata seminibus omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat, ipsaque alatur vicissim a superis externisque naturis."

Horatius: „Currus non audit habenas"[2].

Vergilius: „Fertur equis auriga neque audit currus habenas"[3].

Operae pretium est perlegere Auli Gellii l. 17, c. 10, ubi narratur quid Phavorinus de Vergili versibus[4]) senserit quibus in describenda montis Aetnae flagrantia, Pindaro duce, usus est.

---

1) Nat. deor. 2, 33.
2) Epist. 2, 7, 114.
3) Georg. 1, 514.
4) Aen. 3, 570.

Versus cum attulit:

Portus ab accessu ventorum immotus et ingens
ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis,
interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
turbine flammantem piceo et candente favilla,
attollitque globos flammarum et sidera lambit;
interdum scopulos avulsaque viscera montis
erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo,

et alia multa dicit et haec: „Quod saxa et scopulos eructari et erigi eosdemque ipsos statim liquefieri et gemere atque glomerari sub auras dixit; hoc (inquit) nec a Pindaro scriptum, nec umquam fando auditum et omnium, quae monstra dicuntur, monstruosissimum est."

Monstruosissimum illud Phavorinus ipse in vita cotidiana sine dubio sescenties perfecit. Nam empathia, ad quam ista quoque Vergili pertinent, omnibus hominibus insita est.

Huius phaenomeni psychici mihi in mentem venit, cum in variis libris varias explicationes invenirem metaphorarum quarundam, quae explicationes mihi omnino non placebant.

Sic Hermann Paul[1]) nomina membrorum corporis humani de rerum inanimarum partibus dicta esse ex similitudine formae ac figurae externae contendit et affert:

„*Kopf* (von Kohl oder Salat); *Auge* (Pfauenauge, Fettauge, Auge = Keim an einer Kartoffel oder dergl., = Punkt auf dem Würfel); *Nase* (eines Berges); *Ohr* (Eselsohr = umgeknickte Ecke eines Blattes); *Ader* (in Pflanzen, im Gestein), etc. etc."

Cum vero animadvertit, explicationem suam ratione similitudinis mancam esse neque absolute valere, necessitas ei imposita est paulo inferius addendi, similitudini adiungi illud posse, quod aliquid ut pars toti dispositione sua parti alterius rei responderet, et fieri posse

1) Principiën der Sprachgeschichte³, p. 86.

ut ea relatio primaria causa metaphorae esset, cum de formae similitudine vix loqui possemus, „cf. *Kopf* (Kehlkopf, Mohnkopf, Saülenk., Brückenk., Nadelk., Nagelk., cf. etiam Lat.: *caput montis*); *Hals* (einer Flasche, einer Säule, eines Saiteninstruments); *Bauch* (einer Flasche); *Rücken* (eines Buches, eines Messers, eines Berges); *Arm* (eines Wegweisers, eines Flusses); *Schwanz* (eines Gewandes, eines Papierdrachen)."

Atque dicere pergit similitudinem figurae cum usus similitudine coniungi in: *Fuss* (eines Tisches, Stuhles, u. dergl., eines Berges).

Interdum ad usum solum referri, cf. *Haupt* (einer Familie, eines Stammes, einer Verschwörung, u. dergl. cf. etiam nomina composita, ut: Hauptsache, —bau, — grund); *Hand* (in Wendungen wie: „er ist seine rechte Hand") e. q. s.

Ita H. Paul se ipse corrigere cogitur, quippe qui et eo quod hoc phaenomenon metaphoram dixit et quod metaphoram similitudine niti arbitratus est errare videatur.

Friedrich Haase[1]) cum Paulo convenit in explicando phaenomeno, quamvis fuse de metaphorarum divisione disputet seque hac re multum a Paulo discrepare contendat.

59. Wundt[2]) rem aliter fingit. Loquitur enim de „Bedeutungswandel mit konstanter dominierenden Vorstellung." Nomen idem manere affirmat et cum nomine notam principalem; notam eam principalem eandem exsistere cum in voce propria tum in voce quae metaphorica dicitur. Simplicitati horum phaenomenorum psychicorum congruum esse, metaphoras productas generatim ab obiectis quae sub sensus cadant semperque praesentia sint, procedere, postea in alia magis remota transituras. Ita primo loco aliquem nomina partium sui corporis in obiecta naturae aut artis simili forma praedita transferre.

---

[1]) Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft von Christian Karl Reisig mit den Anmerkungen von Friedrich Haase, II Band, Semasiologie, neu bearbeitet von Ferdinand Heerdegen, p. 56 sqq.

[2]) Völckerpsychologie, Die Sprache II, p. 520 sqq.

Deinde innumeris fere exemplis in libro Hermanni Pauli occurrentibus addit: sedere, iacere, stare, quae verba cum primitus agendi modos vel corporum hominum vel animalium significent, in omnibus linguis ad alias res translata sint: flumen *currit*, oppidum *iacet*.

60. Similiter nomina in alia obiecta simili forma praedita transire: „der *Hut* auf den *Fingerhut*, und das *Zündhütchen*; das *Horn* des Ochsen auf das ihm ähnlich gewundene Blasinstrument, der *Himmel* in Wörtern wie *Thronhimmel*, *Himmelbett* auf andere gewölbte Bedeckungen über dem Haupte . . . . ."

Arguit, phaenomena ea male perspici, si „metaphorae" habeantur, nihil in iis metaphorici esse nisi quod significatio alia alia prior sit; ceterum et propriam et metaphoricam significationem in hac translatione assimilativa immediate notam illam communem continere, ita ut translatio aeque bene immutato ordine perfici potuerit. Cum autem denominatio ubique ex istius notae primariae perceptione processerit, non esse quod hic de comparatione notarum convenientium aut discrepantium agi credamus. Multo magis immediate assimilationem effici, qua obiectum aliquod primum notae primariae alterius obiecti, deinde huius nomini associetur.

Conscientiae eius hominis, qui primus obiecto externo inanimo crura pedesque assignaverit, has partes re vera crura pedesque fuisse, nimirum ab hominum et animalium diversa, sed reapse non magis diversa quam eaedem partes in variis animalibus inter se distinctae sint. Et ita in aliis rebus.

Itaque in his phaenomenis non nisi actus assimilationis apparere; notis primariis isdem manentibus ceteros conceptus mutari.

Ita Wundt rem explicandam esse putavit.

61. Postea (pace summi viri dixerim) altius quidem in naturam phaenomeni penetravimus, sed actum psychicum iam penitus et quasi ad medullam perspici equidem non credo.

Itaque admirationem mihi non movet, Jan v. Rozwadowski,

virum doctum Polonensem, in parvo sed lepido libello[1]) in explicatione Wundtiana plane non acquiescere. Merito, mea quidem opinione,

---

[1]) Wortbildung und Wortbedeutung. Eine Untersuchung ihrer Grundgesetze. Heidelberg 1904, p. 26 sqq: „Mit der obigen Wundt'schen Auseinandersetzung der psychischen Vorgänge, die dem Bedeutungswandel zugrunde liegen, können wir uns nicht begnügen. Denn es unterliegt keinem Zweifel, dass in der Sprache nicht nur diese relative Identificierung ausgedrückt ist, sondern auch noch eben ihre Relativität. Wir reden ja doch nicht slechtweg von *Beinen* und *Füssen*, sondern eben von Beinen und Füssen eines Tisches, u. s. w. Es ist also vor allem nicht richtig, kurzweg von dem Bedeutungswandel des Wortes Fuss, u. s. w. zu reden; denn die Bedeutung änderte sich eben nicht innerhalb dieses Wortes allein, sondern nur in der Verbindung mit der (Gesamt) Vorstellung *Tisch*, u. s. w. Das heisst also: wir vollführen nur einen bedingten Identifikationsakt, indem die Identifikation der beiden Vorstellungen, die sich in der Anwendung des Wortes *Fuss* kundgibt, durch das Apperzipieren der nicht übereinstimmenden Elemente der neuen Vorstellung bedingt wird, was sich auch in der Sprache durch das zugehörige Wort *Tisch* offenbart.

Also kurz: neben der Identifikation vollführen wir zugleich und untrennbar davon eine Unterscheidung.

Hierbei ist zu beachten, dass diese Unterscheidung, also in unserem Fall die Apperzeption der Vorstellung *Tisch*, immer stattfindet, aber sprachlich eventuell nicht ausgedrückt wird, wenn sie durch die ganze Situation, d. h. durch den augenbliklichen Inhalt des Bewustseins gegeben ist. Habe ich ein *Tischbein* zerbrochen, und will ich das jemand mitteilen, der davon nichts weiss, so muss ich sagen: „Du, ich habe das *Tischbein* zerbrochen". . . . .

Diese Tatsachen sind nun offenbar so zu formulieren: In der Anwendung des Wortes Fuss finden ihren Ausdruck *diejenigen* direkten Elemente (der neuen Vorstellung) welche mit einem Teil der reproduktiven Bestandteile (der früheren Vorstellungen, auf welche die neue bezogen wurde) als *identisch* apperzipiert worden sind; dagegen diejenigen direkten Elemente, die sich unter den reproduktiven nicht vorfinden, bzw. als von ihnen verschieden aufgefasst wurden, finden ihren sprachlichen Ausdruck in dem Worte *Tisch* oder seinem sprachlichen Aequivalente, dem bestimmten Artikel; in den Sprachen, welche denselben nicht kennen, bekommen diese Elemente bei unmittelbarer Anschauung, bzw. Hinweisung eventuell überhaupt kein Lautbild.

Also kommen wir wieder zum zweifellosem Schluss:

Jede neu appercipierte Vorstellung wird eben dadurch, dass sie auf eine frühere oder eine Reihe früherer bezogen wird, gegliedert, und zwar ist es Zweigliedrigkeit, die wir auch von diesem Gesichtspunkte aus konstatieren. Das eine Glied nennen wir das Identifizierende, das andere das Unterscheidende".

dicit, „identificari" non posse notam illam primariam, nisi ipsa illa elementa discrepantia, quae vario modo exprimere licet, coniungamus. Omnia quae mutationem linguisticam producant bimembria esse etiam atque etiam apparere, necnon hic denuo elucere.

Quamquam haec ita sunt, tamen nec Rozwadowski, explicanti assentiri possum. Bimembre illud hac tantum condicione clarum ac perspicuum fit, si translationis fundamentum rationem externa obiecta vita nostra animandi ponamus. Tunc etiam adest *differentia* simul atque *identitas*: nosmet ipsos cum obiecto idem sentimus, membra obiecti nostra membra fingimus; est ea *identitas*. Simul autem obiectum ut alterum „ego" sentimus, a nostro „ego" distinctum; ea est *differentia*. Deinde — res enim externa totum aliquid fit, quod ut „alterum idem ego" sentimus — pars ad quam nomen alienum transfertur, pars eadem est ac mei ipsius; sed etiam discrepantiam inter totum et partem sentio ut inter me-totum et mei-partem; ac simul fuse rem externam alterum „ego" esse animadverto eo, quod tale ipse ex me proieci.

62. Si hoc modo rem fingimus, omnes difficultates evanescunt et haec „metaphora" membrorum corporis non iam metaphora, sed factum psychicum esse videtur, quod nemo non naturale ac simplex dicet.

Hoc ex natura sequi, praeterea probari possit eo quod hae „figurae" omnium linguarum sunt neque usquam fere ut figurae percipiuntur.

Non immerito igitur dixerit quispiam, astricte ita probatum esse, hic de linguae Latinae proprietate mentionem facere non licere, quippe quae per totum terrarum orbem vigeat.

Atque re ipsa ita est: *caput*, *pes*, *dorsum*, alia ubivis terrarum sic usurpari audias.

Admodum igitur vulgare ac commune est, *fauces*, *guttur* de angustiis montium dici.

Vergil. Aen. 8. 234: *dorsum* speluncae.
6. 3: *dente* tenaci anchorae fundabat naves.
3. 575: *viscera* montis.

In ore omnium sunt: *rostrum* navium, *ostium* Nili, Tiberis; *pedes* veli, *gremium* deorum, *vestigium* flammae.

Huc etiam referenda sunt:

edere, de flamma dictum Aen. 4. 66 – 6. 442.

insurgere de rupibus, de tenebris, 8. 234 – 9. 34.

mordere: Aen. 12. 274: laterum iuncturas fibula mordet.

Aen. 6. 265: *tacentia* loca.

2. 684: *lambit* flamma comas.

Praeterea: *superbus* de rebus;

Aen. 1. 746: *tardae* noctes,

6. 53: *attonitae* domus,

12. 731: *perfida* ensis,

3. 145: *fessae* res.

Etiam: *caeca* domus. De adiectivo autem *caecus* ambigi potest: si ex empathia ortum est, praecedere debet empathia hominis externi caeci in seipso, quam Ebbinghaus „Einfühlung des Objekts in das Ich" vocat. Usus hic fortasse confirmatur Euripid. Herc. 199: *τυφλοῖς οὐτάσας τοξεύμασιν.*

Sunt autem alii loci, qui monstrare usum vocis *caecus* videntur, de quo supra egi § 25.

Eodem modo adiectivum *laetus* (laeta arva; laeta armenta) se habere videtur.

63. Qui aliter sentit amplius forsitan instet: „Quid ista omnia utilitatis offerunt? Si haec animandi ratio omnibus inest qui sub caelo sunt, cur de ea re uberius disputas tamque accurate explicare conaris id quod de ingenio Romano nil nos docere posse ipse concedis"?

At enim ipsa hac disputatione eo pervenire in animo habeo quo alia via suppetere non videtur.

Sit quod de empathia protuli, novum et inexspectatum, novius fortasse et inauditum videbitur quod iam explanare aggredior.

Constat, homines, dum vivunt, corpori iunctos corpus suum partem sui ipsorum habere. Nec corpus solum, sed multa quoque alia ad

se trahunt, quod patet ex dictis quale est: „ne *me* inquines", cum quis vult vestem suam.

„Me" igitur primo etiam intellego corpus et vestem, i. e. omne illud quod arte mecum coniunctum est. Sed hoc „ego" latius extenditur ad id cuius potestatem habeo eodem modo quo corporis ac vestis [1]).

64. Et ideo — atque hoc magni momenti est — actus qui ad circuitum potentiae meae pertinent, hi conscientiae meae actus mei ipsius sunt.

Lingua Latina multa huiusce rei vestigia praebet.

„Introduxi Volturcium", Cicero [2]) ait, ne manu quidem ad hominem extenta.

Nepote auctore [3]) Cimon „complures pauperes mortuos suo sumptu extulit."

Cicero de Verre [4]): „istum paucis horis primae actionis omnium mortalium sententiis condemnavi."

„Piso anulum sibi facere volebat" [5]).

„Virgis quam multos Verres ceciderit: quid ego commemorem?" [6])

„Fecitque idem (Tullus Hostilius) et saepsit de manubiis comitium et curiam" [7]).

„Iam vero (Agricola) filios principum liberalibus artibus erudire" [8]).

Post haec mirum non est, Romanos res quibus ad opera cotidiana saepius utebantur, ut partem sui conspexisse, sicut etiam nos, cum baculo aliquid attingimus, mollitiem vel duritiem nos ipsos sentire fingimus.

Itaque nostrum „ego" extenditur etiam ad instrumenta quae adhibemus.

---

1) Lipps, Das Selbstbewusstsein; Empfindung und Gefühl, p. 36.
2) Cat. 3, 8.
3) Cim. 4, 3.
4) in Verr. act. 2, 5, 177.
5) Verr. 4, 25.
6) Verr. 5, 53.
7) Res Publ. 2, 17.
8) Tac. Agric. 21.

65. Quodsi quis instrumento quodam frequenter usus erit, modo ad empathiam satis pronus sit, in omnibus reliquis actionibus suis instrumentum illud tractare sibi videbitur. Unde vicissim e verborum technicorum usu frequenti efficere licet, homines et talem artem exercere et ad empathiam pronos esse.

Atqui Romani tali in usu multi fuerunt.

Sic *delirare* = insano modo loqui et agere, Romano idem erat atque extra liram sive sulcum ire.

praevaricari = male et insincere agere, idem quod in obliquum ire (ab adiectivo *varus*).

stimulare = excitare, idem ac boves stimulo agere.

tribulare = lacessere, idem ac tribulo terram premere.

incohare = opus quodlibet incipere, (Cf. Franco-gallic. „entrer en matière") idem quod aratri temonem in loco suo ponere.

percontari = aliquid quaerere, idem ac conto altitudinem aquae tentare.

callere = versutum esse, idem ac callum habere, quo provocando agriculturae peritus factus fuerat.

putare = cogitare, idem ac purgare vitem, arbores. (Haec significatio Aen. 6. 332: „multa putans". Cf. Aen. Buch VI, erklärt von Eduard Norden.) Vide paulo inferius.

Res de qua agitur fortasse magis in nominibus quam verbis eminet. Sic in castris vir rusticus se saeptum videbat ut in villa sua, et utebatur nomine *cohors* (proprie = praedium rusticum vel stabulum, locus saeptus. Varro[1]): „in plano cohors in qua vagantur gallinae").

felicem arborem dicebat agricola fructibus onustam; at etiam se aut alium felicem sentiebat.

fruges in agro laetus aspiciebat earumque utilitatem sibi proponebat; hominum virtutem moralem usui fore perspiciebat dicebatque virum *frugi* (Dat. vocis *frux*).

---

[1]) R. R. 3, 3.

emolumentum, fortasse = quod quis ex aliqua re molit; deinde = commodum.

manipulus = quantum manu comprehendi potest, proprie de herbis aut pabulo dicitur. Duci exercitus globus militum est.

septentriones, proprie = septem triones. De qua voce Varro[1]) acute dixit: „Arbitror antiquos rusticos primum notasse quaedam in caelo signa quae praeter alia erant insignia atque *ad aliquem usum culturae convenire animadvertebantur* . . . . . Triones enim et boves appellantur a bubulcis nunc maxime cum arant terram."

Weise[2]) e lingua poëtica numerat: vada carina *sulcare*, aequor *arare*, librum *exarare*, proelia *serere*, barbam *metere*, viam *carpere*; polus sidera *pascit*, *uber* glebae, mare *mugit*, etc.[3]).

In proverbia abierunt descriptiones facti totius, e. g. *arare litus* = frustra agere; *adhuc tua messis in herba est* = tempus idoneum nondum adest.

66. Addere licet: a cane non magno saepe tenetur aper; adversum stimulum calces; vulpes pilum mutat non mores; venatum ducere invitas canes; vipera est in veprecula; sera parsimonia in fundo est; similem habent labra lactucam; super aristas gradi; ubi uber, ibi tuber; boni pastoris est, pecus tondere, non deglubere; arator nisi incurvus praevaricatur; aliena capella gerit distentius uber; favos post fella; frondem in silvis non cernere; hircos mulgere; inter vepres rosae nascuntur; in silvam ligna ferre; neglectis urenda filix inna-

---

[1]) L. L. 7, 73, 74 (ed. Spengel).

[2]) l. c. p. 15.

[3]) Max C. P. Schmidt, Realistische Stoffe im humanistischen Unterricht, p. 64 sqq. (in Capit. Bauernlatein) praeterea citat: *calamitas*, a calamo; sed vide Walde, Etym. Wörterbuch[1], a cadamitas, a cado; *clades?; detrimentum; emolumentum* a „molere"; *fructus*, *fraus*, *acervus*, *copia*, *saeculum*, *vivalis*, *proceres*, *pecunia*, *mitis*, etc. Quaedam sane etymologiae audaciae plenae mihi videntur; nihilominus gaudeo eum tam aperte scribere: „Der Römer war ein Bauer. Seine Sprache ist darum im eigentlichen Sinne des Wortes Bauernlatein".

scitur agris; lupos apud oves relinquere custodes; naturam expellas furca, tamen usque recurret; mus uni cubili aetatem non committit suam; nobilis equus umbra quoque virgae regitur; non convalescit planta, quae saepe transfertur; non ovum tam simile ovi; potest taurum tollere, qui vitulum sustulit; os sublinere; quam arborem sevi, sub ea legit alius fructum; purus putus; mutuum muli scabunt; malo arboris nodo malus cuneus requirendus est; in scirpo nodum quaerere; fenum habet in cornu; gallus in sterquilinio plurimum potest; etiam post malam segetem serendum; eiusdem farinae; cornix cornici oculos non effodit, etc. etc.

Affatim exemplorum est ut sententia confirmetur, Romanos veteres agriculturam exercuisse necnon, id quod nobis primarium est, pronos ad empathiam fuisse.

Quam amplificare atque ornare insuper aliis argumentis liceat.

67. Vir vere Romanus ad bellum promptus erat et cum pugnandi amore tum necessitate naturam bellicosam ostendebat.

Verum etiam in bellum progressus vitaeque militari assuetus hoc habebat quod se agros colentem atque utentem instrumentis rusticis sentire non desistebat.

De re militari Aulus Gellius [1]: „Vocabula sunt militaria, quibus instructa certo modo acies appellari solet: frons, subsidia, cuneus, orbis, globus, forfices, serra, alae, turres. Haec et quaedam item alia invenire est in libris eorum, qui de militari disciplina scripserunt. *Tralata autem sunt ab ipsis rebus quae ita proprie nominantur:* earumque rerum in acie instruenda *sui cuiusque vocabuli imagines* ostenduntur."

Milites qui vocabula *cuneus*, *forfices*, *serra* adhibebant, cotidie talibus instrumentis usos fuisse luce clarius est; atque contra hostes pugnantes iisdem uti sibi videbantur. Celebre factum est *mulus marianus*.

---

1) N. A. 10, 9.

68. At e re quoque militari voces non paucae in usum cotidianum transierunt. Militarem originem prae se ferunt: *spoliare*, *intervallum*, *praemium* (ex *prae* et *emere* = quod de spoliis antea aufertur); *tiro*, *commilito*, *turbae* (apud Plautum = machinationes); *desciscere*, *transcurrere* („sed praecipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum" [1]).

In proverbia autem abierunt: vae victis; vivere militare est; suo gladio iugulare; venire depugnato proelio; res redit ad triarios; qui, desertor, arguis militem?; per aequa per iniqua; nec puero gladium; Manliana imperia; in foveam decidere; Hannibal ad portas!; clipeum post vulnera sumere; Marte meo; patior telis vulnera facta meis, etc. etc.

Res militaris quatenus linguae contulit alter est locus, unde aliquid eruere licet quod ingenium Romanum illustrare possit.

69. Quoniam enim Romanos multas „metaphoras" multaque proverbia e re rustica atque e re militari deprompsisse videmus, concludere licet, haec obiecta conscientiae eorum inhaesisse ideoque tam facile in lucem prodisse.

Et ita prima enuntiati (§ 65) pars demonstrata est.

Tamen de hac re inserere quod M. Bréal contendit, non abs re videtur. „On a dit," inquit, „que les métaphores d'un peuple en laissent deviner le génie. Cela est vrai pour quelques-unes; mais il faut bien avouer que la plupart ne nous apprennent guère que ce que nous savions déjà; elles nous donnent l'esprit de *tout le monde*, qui ne varie pas beaucoup d'une nation à l'autre." Post quae quaedam exempla, e lingua Latina sumpta, affert. *Recte atque ordine* dicitur pro „bene"; etiam *integer* et *gravis* pro „bonus". Sed malum signum est *levitas: levis*, *vanus*, nullius momenti. Quod transversum est, est improbum: *pravus*. Intellectus est quasi spiculum penetrans: *acumen*; sed vecordia est tamquam culter obtusus: *hebes*; vel satura sine sale: *insulsus*. Indoles simplex comparatur cum veste non plicata:

---

[1] Vell. Pat. 2, 1.

[2] Essai de sémantique, p. 134 sqq.

simplex. Rationes falso allegatae velut limbi sunt pannum dissimulantes: *praetextum.* *Varietas* et *vafrum esse* non longe distat a fraudulentia.

Cogitare est *putare* (proprie *putare rationes* = purgare. Putare, *purum facere* apud Varronem et Festum occurrit. Formula sollemnis est: *putare* vitem, arbores. Et *putare rationes* abiit in: numerare). *Aestimare* proprie de nummis dicebatur; deinde significat quamvis aestimationem. Cogitare de aliqua re est quasi rem pendere: *deliberare.* Quod parvo pretio emi potest, in contemptu est: *vilis.* Quod est rarum, magni pendimus: *carus*, *caritas.*

Exstinguere proprie de hasta, quae cuspidem perdit, dicitur (cf. stimulus, stilus). *Erudire* dicitur de ramo, qui arbori aufertur[1]). *Tranquillitas* de liquiditate caeli vel aquae.

Ita Bréal.

A viro summo dissentire nequaquam volo quod ad ea attinet, quae falso metaphorae dicuntur, qualia: *pes*, *caput*, aliorum corporis membrorum nomina. Reapse haec nomina, etsi fortasse in lingua Latina latius se extendunt, in omni tamen lingua tali modo adhibentur, propterea quod ex illa inclinatione omnibus hominibus ingenua procedunt quae est animandi res externas sua ipsorum vita.

70. At tamen usus verborum agrestium nec non militarium frequentissimus hasce duas cultus Romanorum partes primarias fuisse indicare videtur. Quibuscum optime congruit quod Bréal paulo post dicit[2]): „Quand la linguistique tournera vers le sens des mots une partie de l'attention qu'elle porte trop exclusivement sur la lettre, elle pourra créer *pour les diverses langues* un curieux et *instructif* relevé montrant le contingent de métaphores, fourni par *chaque classe de citoyens*, par chaque corps de métier. Le tisserand a donné à la langue latine les mots qui veulent dire „commencer": *ordiri*, *exordiri*, *primordia* ....

---

1) Walde vero Lat. etym. Wörterb. s. v. *rudis:* e tollendo quod rude est.
2) l. c. p. 139 sq.

Le mot *ordo*, avec la longue série de ses significations si variées et si importantes — en poétique, à la guerre, dans l'administration, dans les arts — est lui-même un présent de l'humble métier du tisseur.

Les auspices avaient une telle importance qu'on ne peut être surpris d'en retrouver le souvenir dans la langue commune: l'adjectif *propitius*, qui marquait le vol en avant; l'adjectif *sinister*, qui marquait les présages funestes; les verbes *aucupari*, „épier"; *augurare*, „conjecturer"; *autumare*, „affirmer", qui contiennent tous les trois le mot *avis;* l'adverbe *extemplo*, employé d'abord pour les présages surgissant à l'intérieur du *templum* céleste; le verbe *contemplari*, emprunté à l'occupation ordinaire des augures, en sont d'unanimes témoignages. La langue du droit n'a pas été moins fertile. J'en citerai seulement ce curieux mot *rivalis*, qui désignait des propriétaires voisins se servant d'un même cours d'eau [1]) et qui est devenu le nom de toute espèce de rivalité."

Apertius etiam Darmesteter [2]) pronuntiat: „Rien de fécond et d'intéressant comme cette histoire des mots qui reflète l'histoire de la pensée et celle de la civilisation d'un peuple."

Utcumque res est, Romanos in hoc translationum genere multos fuisse nemo est qui neget.

71. Cum autem multi fuerint in re quam in empathia fundari demonstrare conati sumus, eorum propensionem obiecta externa animandi comprobare iam non opus est. Atque ipsa igitur ea facilitate Romani a ceteris gentibus distinguuntur.

Quae res animum Latinum qui iam saepius se „subiectivum" nobis ostendit, miro modo illustrat. Nam in hac vitae psychicae regione de solis quidem rebus externis agitur, sed vir Romanus in eas se iniciebat et insinuabat ita ut partes rerum non tantum partes corporis eius fierent, verum etiam usus cotidiani instrumenta.

---

[1]) Haec etymologia a Walde l. c. s. v. *rivalis* improbatur.
[2]) Vie des mots, p. 124.

Neque ibi res constitit.

In aliis quoque rebus, quae intellectu perficiuntur, Latini empathia usi sunt. Quod admirationem nobis ne moveat, cum nos quoque actus incorporeos in spatium quasi proicere („projecteeren") apud omnes psychologos in confesso sit. Quodsi verum est, latissimi investigandi atque inquirendi campi his phaenomenis patefacti sunt, quos perscrutari neque lubet neque ad rem nostram pertinet.

Satis sit monstrasse, in hac quoque re ingenium Romanum magis se internum quam externum praebuisse.

72. Ut obiter tantum aliquid perstringam, hoc de empathia caput religionem Romanam valde illustrat.

Quidquid probabile Fustel de Coulanges[1]), ducibus Herbert Spencer, Lippert, aliis de religionum ac caeremoniarum origine protulit, omnia ad cultum maiorum („Ahnenkult") reducens, ipsos Romanos id plerumque non iam novisse non est quod moneam. Itaque de Romanorum ingenii vi ac natura ille liber, quamvis lepidus atque antiquitatum investigatori iucundissimus, nihil nos docet.

Multo melius atque altius me perspicere, quo modo Romani suae religionis amantes esse potuerint, cum eorum inclinationem rerum externarum animandarum insignissimam agnoverim mihi quidem persuasissimum est.

Cum praesertim in res militarem et rusticam se proicerent, consentaneum est, deos primarios fuisse Saturnum et Mamertem. Eadem de causa mirarer, si Romani deos ex libris Sibyllinis inductos Cererem, Liberum, Liberam repudiassent, quippe qui ad regionem pertinerent, in quam animus Latinus studium potissimum extenderet.

Neque longe distat consuetudo virtutes morales tamquam daemones sibi proponendi. Postquam enim prius vires in mundo luctantes animavit, vires in intimo suo homo sibi congruenter tamquam deos finxit: Aequitatem, Libertatem, Spem, Salutem, Virtutem e. a. Immo mera

---

1) La cité antique.

abstracta qualia: Salus populi, Securitas saeculi, pro diis habentur. Romani etiam Indigitamenta sive indices deorum nullum non aetatis gradum custodientium excogitaverunt: Fabulanum, Educam, Potinam Abeonam, Adeonam, alia.

Quae omnia ex eorum animo, pronus qui esset ad res cunctas vita humana animandas, provenire apparet.

DE SUPERBIA.

73. Restat ut de Romanorum superbia loquar, nam suum illud ante alia omnia proprium esse ostendunt, praetereaque superbia motus animi purus putus est. Nonne hic quidquam colligi potest, quod ut altius in ingenium Romanum penetremus permittat? Per omnes aetates hoc gens Romana in aperto tulit: indomitam ambitionem ac superbiam, quae in temporum cum felicitate tum iniquitate prorupit verbis et factis, quin etiam saeculo Christiano vox illa resonat, sui solius amans, ceteros detestans. Caecili cuiusdam pagani, quem Minucius Felix[1]) inducit, nota sunt verba: „Nonne Romani sine vestro deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto vestrique dominantur?" et: „Sic eorum potestas et auctoritas totius orbis ambitus occupavit, sic imperium suum ultra solis vias et ipsius oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus ..... Sic, dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt."

Atque S. Augustinus[2]) de Romanis affirmat: „Hanc (scil. gloriam) ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac emori non dubitaverunt ..... Ipsam denique patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari vero atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupiverunt ..... Ita fiebat in votis virorum virtute magnorum, ut excitaret in bellum miseras

---

1) Octav. 12, 5 et 6, 2 (ed. Waltzing).
2) Civ. Dei 5, 12.

gentes et flagello agitaret Bellona sanguineo, ut esset ubi virtus eorum enitesceret. Hoc illa profecto laudis aviditas et gloriae cupido faciebat. Amore itaque primitus libertatis, post etiam dominationis et cupiditate laudis et gloriae multa magna fecerunt".

Superbia illa ex hisce Vergili versibus vi tota elucet, qui sunt in Aeneidis libro sexto, magnis spiritibus oppleto:

> Excudent alii spirantia mollius aera
> (credo equidem), vivos ducent de marmore voltus,
> orabunt causas melius caelique meatus
> describent radio et surgentia sidera dicent;
> tu regere imperio populos, Romane, memento
> (hae tibi erunt artes) pacisque imponere morem,
> parcere subiectis et debellare superbos"[1]).

„Debellare superbos!" Ex omnibus hisce versibus superbia Romana prosilit.

Alia exempla e litteris proferre supervacaneum iudico; qui litterarum Latinarum aliquatenus peritus est rem a vero non abesse concedet.

74. Quid autem superbia sit quoque modo a Romanorum ingenio proveniat inquirere iam magis ad rem pertinet.

Cum supra de motibus animi diceremus, digito ostendimus activitatem consciam, quam animi motum esse demonstratum erat, immediate nos attingere posse, sed apparuit quoque, nos ad actus praeteritos redire posse non iam immediate, sed mediate attingentes. Sicut hoc temporis puncto aliqua re laetati esse possumus; at fieri etiam potest, ut nunc de aliquo actu nostro interno qui iam dudum praeteriit, cogitemus. Tunc is actus noster tamquam res externa nobis obversatur et haec res, hic actus τοῦ ego praeteriti rursus laetitia aut dolore nos afficere potest.

Si actus praeteriti nos omnino non paenitet, motus animi τοῦ ego huius temporis est superbia.

---

1) Aen. 6, 847—853.

Superbia igitur ex *se ipsum spectando* oritur, et id quidem, si praeteriti actus cum statu meo huius temporis congruunt; si minus, demissio animi oritur. Itaque superbia aut progressum aut saltem aequalitatem vitae supponit.

75. Cum vita Romanorum eorumque scripta verbis expressa superbia oppleta sint, propter id unum tuto concludere licet, eos homines internos fuisse, i. e. iterum atque iterum se ipsos introspexisse, contra modice res externas spectasse.

Eiusmodi ingenium doctrinae Stoïcae patere consentaneum fuit. Homines, omnia in se ipsis habentes, rationem illam ac disciplinam, adulationem sui seriis verbis docentem, quam a. 155 a. Chr. n. Diogenes attulit, magno studio arripuerunt. Si quis ingenii Romani proprietatibus satis imbutus, notam illam legationem [1]) vidisset, praedixisse potuisset, nec Critolaum Peripateticum nec Carneadem Academicum, sed Diogenem Stoïcum Romae discipulos assecuturum esse. Atque postea Panaitios Scipione Africano et Laelio, quem Varronis praeceptorem fuisse Aulus Gellius testatur, familiariter usus est. Deinde ratio Stoïca floruit in Catone Uticensi, Seneca, Lucano, Cornuto, Persio, Thrasea Paeto, Marco Aurelio, Antonino.

En longam seriem! Neque mirum esse iam dictum est. Stoïci enim et alia multa et hoc proprium est, ut in intimis vivat, in alto pectoris adyto haereat.

„Hi mores, haec duri immota Catonis
secta fuit, servare modum finemque tenere
naturamque sequi patriaeque impendere vitam,
nec sibi sed toti genitum se credere mundo" [2]).

Ea disciplina genti illi superbae, quae mare mediterraneum „mare nostrum" dicebat, utique arridere debuit.

---

[1]) Aul. Gell N. A. 6, 7; 14, 8. – Polyb. fr. 2, p. 1287 ed. Hultsch. Cic. Orat. 2, 154.

[2]) Lucan. Pharsal. 2, 380 sqq.

76. Huic rei non alienum videtur de syntaxi Latina quaedam adnectere, de qua syntaxi Quintilianus[1]: „Non possumus, inquit, esse tam graciles (scil. quam Graeci), simus fortiores; subtilitate vincimur, valeamus pondere". Quod verbum Cicero quoque dictitare solebat. Re vera in lingua Latina est grave ac certum nescio quid quod speciem virilitatis praebet. Est lingua rhetoribus accomodata. De qua re cum iam supra sermo fuerit, hic alia ratione illa proprietas considerabitur, quae cum accentu tum syntaxi elucet.

Lingua Latina constructione hypotactica eminet, quae forma linguae paratactica tempore posterior est. Sententiae similes sunt legionibus bene instructis atque ordinatis, quarum cohortes imperatori obsequium praebent et locum designatum tenent.

77. Haec est res quae praecipue conspicitur, cum lingua Latina cum linguis Graeca recentioribusque comparatur. Quoquoversus oculos conicimus, hypotacticas constructiones potissimum dilectas videmus; et, quod eodem ex fonte promanat, usus coniunctivi latissime se extendit.

Vergilius quidem de industria Graecis ducibus ad coördinationem reverti conatur, id quod praesertim, si cum Lucretio comparatur, perspicuum fit; sed prosa oratio numquam studium atque amorem hypotaxeos amisit.

Viri docti vehementer litigant, quam formam substratum sententiae habeat, antequam verbis aperiatur[2]. Sed hoc saltem inter omnes convenit[3], parataxin formam pristinam enuntiatae sententiae esse ac magis naturalem. Parataxi gens simplex utitur quae cogitationem nondum reflectit, quae animo obsequitur genioque indulget. Contra hypotaxis, utut postea usu teritur meditatumque illud perdit, modus

---

[1]) Inst. or. 12, 10, 36.

[2]) Aliter Wundt, Die Sprache II, p. 303 sqq.; aliter Rozwadowski, l. c.; aliter William James, Principles of Psychology II, p. 356 sqq.

[3]) Cf. Paul, Principiën der Sprachgeschichte, p. 103 sq.

loquendi est prius bene perpensus, qui cogitationem menti inhaerentem completam spectando nascitur.

Hic igitur rursus exemplum inspiciendi rationis habemus, quam apud Romanos multis in rebus viguisse vidimus.

78. At si quid aliud, usus coniunctivi in lingua Latina ad extrema deductus nulli alii rei nisi *subiectivae* opinioni monstrandae inservit. Quodsi singillatim conspexeris, quid coniunctivus Latinus significet, difficultatum montes undique exsurgere satis scio.

Delbrück in libro „Syntaktische Forschungen Bd. I" docuit, coniunctivum generatim voluntatem, optionem vero optativum exprimere, quam sententiam in voluminibus posterioribus quodammodo mutavit, sed opinionis summa permansit.

De coniunctivo Latino fere dicitur, functiones et coniunctivi et optativi in eum transiisse, vimque eius sensim pedetentimque minutam potentialem factam esse, ita ut etiam ad exprimendam opinionem de potentialitate adhibeatur [1]).

Cauer [2]) rem magis ad unitatem reduxit dicens, coniunctivum arctioris vinculi dependentiae signum esse, id quod etiam nomine coniunctivi breviter ac bene indicatur.

Magis vero universe rem sumimus, si dicimus, coniunctivum *subiectivitatem* exprimere, quam quidem in omni usu coniunctivi iacere explicari posse arbitror.

In phrasibus finalibus, consecutivis, potentialibus, causalibus („quod" et „quia" cum coniunctivo) subiectivitas re vera in aperto est neque argumentis indiget.

Deinde, ut in causalibus sic in orationis obliquae phrasibus secundariis coniunctivus vult, hominem narrantem mentis suae cogitata non eloqui. Quod nostrae opinioni nequaquam repugnat. Homo enim narrans veritatem *obiectivam* rerum narratarum praestare

---

1) Schmalz, Lateinische Syntax, in „Handbuch der klass. Altertumswissenschaft"², p. 407.

2) Grammatica militans, p. 109.

minime vult, praestaret si indicativo uteretur. Itaque coniunctivum adhibet, ut clare atque aperte dicat, has omnes res narratas secundum alterius opinionem referri itaque mentem *subiectivam* suam coniunctivo aperit.

79. In enuntiatis condicionalibus quaestio intricata esse videtur. Qui discipulos themata de hac re tractantia docuerit, magnae mendorum difficultatumque molis reminiscetur. Quod periculum grammaticae in usum scholarum editae explicantes celebres illos ,,tres casus" non raro augent. Praeceptor igitur gaudet, cum rem multo labore ac sudore eo perduxit, ut discipuli tandem aliquando omnia hic ex animi habitu dependere perspexerint.

Indicativus nihil de rerum veritate dicit, sed qui loquitur, aliquid ut revera factum proponit; nihil coniunctivus praesentis vel perfecti contendit praeterquam quod qui loquitur factum ut cogitatum proponit, rerum veritate non spectata; nihil coniunctivus imperfecti vel plusquamperfecti nisi quod homo loquens factum ut cogitatum proponit, probe sciens res ipsas aliter se habere.

Quae cum ita sint, „tribus illis casibus" neque indicativus immediate obiectivitatem neque coniunctivus subiectivam rationem patefacit. Omnia enim hic ex voluntate repraesentantis, etiam indicativum dependere iam clarum ac perspicuum est.

80. At propius intuens hic quoque coniunctivum aliquid subiectivi continere, sed *mediate* et quasi per reflexionem, quin perspicias non dubito.

Mens ipsa in semet se reflectit atque cogitationem suam aut, supposita re, forma obiectivatem exprimente, i. e. indicativo exprimit, aut, veritatis specie amota, vel, veritate re vera absente, coniunctivo aperit, i. e. forma subiectiva.

Quid multa? Ingenium Romanum proclivitatem suam ad internas res verbo patefaciendas etiam ingenti coniunctivi usu demonstravit.

Itaque hoc capitulum de unica re tractavit, quamvis diversa complecti videatur. Primo enim de superbia actum est, quod vitium se

ipsum introspiciendo nascitur; deinde Romanorum mira adhibendae hypotaxeos cupiditas, quae a reflexione originem ducit quaeque videtur esse talium hominum, qui a cunctis orbis terrarum gentibus obsequium poscant, leviter ac breviter tacta est; denique de usu coniunctivi, qui modus subiectivi aliquid in lucem profert, plura atque subtiliora disputata sunt.

Atqui id ipsum, de quavis re semper et ubique subiectivam opinionem proferre in vita cotidiana animi superbi insigne habetur.

Itaque res varias uno superbiae vinculo collectas atque conexas esse videbis.

DE ALIOS IRRIDENDI STUDIO.

81. Non immerito Oscar Weise vitiorum corporis irrisionem Romanis cordi fuisse contendit. Argumento sunt permulta cognomina qualia: Paetus, Crassus, Naso, Capito. Quod hanc rem magnas mentis facultates significare contendit, ei consentire non possum. Quod autem dicit, eam ex eodem fonte prosilire quo locutiones *Punica fides*, *Gallorum credulitas*, *Graecorum libertas*, concedo.

In memoriam id revocare liceat, quod supra in capite de metaphoris tractante dictum est, vitam Romanorum varietate eguisse et quam maxime simplicem fuisse. Unde fluxus mentis („streams of thought") semper fere leves erant, sed cursu semel mutato magna mutationis vestigia reliquerunt.

Nec vita cotidiana nec homines vulgares Romanorum animi motus magnopere concutiebant. Cum vero res nova vel homo extraordinarius aliquave re insignis se offerebat, animus eorum pro re nata vehementer ac graviter commovebatur.

Quod phaenomenon cum eo quod supra empathiam diximus, cohaeret. Empathia enim etiam empathiam in aliorum hominum externam speciem complectitur. Hoc novum empathiae genus paucis verbis explicabo.

Generatim certum est, nos „nostrum ego" in alios proicere et affectus aliorum nostris animi motibus imitari, dum affectus, qui proprie sine dubio nostri sunt, in aliis sentire nobis videmur. Hoc factum ulterius quam ad impulsum imitandi interiorem reducere non possumus [1]). Si impulsus iste cum animi motu qui tunc mihi inest, convenit, si aliorum affectus sine frictione, ut ita dicam, imitor, empathia positiva est, quae sympathia appellatur. Sin autem status meus repugnat, negativa est, cui nomen antipathia est. In sympathia unicum „ego" mihi conscium est, videlicet illud „ego" in alios proiectum. Non prius quam ex completa interna imitatione egredior, me ipsum ligatum simul ac non ligatum [2]), i. e. duplex „ego" sentio. Hoc autem duplex „ego", cum de antipathia sermo est, semper sentio.

82. Frictionem istam Romanus sentit, antipathiamque pandit, cum Punicam fidem, Gallorum crudelitatem et etiam Graecorum libertatem digito ostendit. Mitiore modo, at tamen in eodem animi statu dum versatur, vitia corporalia in aliis manifesta reddit. Immo ad excogitandum ludibrium ingeniosus atque acutus esse videtur.

Unde sequitur, ut haec proprietas non ex intellectu, sed e facilitate se in alios proiciendi provenire videatur.

Quae cum ita sint, hoc praecipue notandum est, Romanos unice iocum ac ludibrium in homines iecisse, unice qualitates pravas hominum monstrasse. — Cum hac re uberrimi fuerint, rerum contra et obiectorum externorum vulgarium satis incuriosos se praebuerint, tuto concludo, hoc quoque in re Romanos se subiectivos et internos

---

1) Lipps, Leitfaden der Psych., p. 200.

2) W. James, l. c., I, p. 294: „The most peculiar *social self* which one is apt to have, is in the mind of the person one is in love with. The good or bad fortunes of this self cause the most intense elation and dejection — unreasonable enough as measured by every other standard than that of the organic feeling of the individual. To his own consciousness he *is* not, so long as this particular social self fails to get recognition, and when it is recognized, his contentment passes all bounds".

ostendere, itaque etiam hanc proprietatem optime quadrare in Romanae indolis imaginem, quam hucusque adumbrare conati sumus.

83. Cum eo alios irridendi studio adiumenta a natura data, sc. artis dramaticae, concordant. Ad artem enim dramaticam, praecipue comicam, Romanos inde a primis temporibus propensos fuisse pro certo affirmare licet. Quamvis obscurum sit testimonium Livi (7. 2), ubi artis dramaticae principia enarrat, nihilominus aliquas dramatum formas Romanis iam in antiquitate notas fuisse testari videtur.

Ingenium autem im scena partes agendi e facilitate illius „Einfühlung" quae dicitur, certissime dependet, quo factum est, ut „res quidem nova bellicoso populo" propter ipsam illam facilitatem mox gratia Romanorum floreret. „Nec motus a voce absoni erant" iuvenibus qui natura ad alios imitandos proni erant. „Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata". „Impletas modis saturas, descripto iam ad tibicinem cantu *motuque congruenti* peragebant".

„Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocabatur et ludus in artem paulatim verterat, iuventus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se *more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit:* quae exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt".

84. Deinde cum hac proprietate, h. e. cum facilitate se ipsum rebus personisque externis animandi, etiam indoles ac natura congruit cohaeretque, quae arte rhetorica prorumpit. Arte rhetorica Romani facile principes sunt, atque magna illa oratorum series inde ab Appio Claudio per Gracchos et Ciceronem ad Latinitatis recentissima tempora admirationem sui cuivis iniciat necesse est.

Aliquos disertos fuisse suspicari tantum possumus ex eo quod effecerunt. Sicut Appius Claudius senatum labantem ac iam inclinantem a Pyrrhi pace revocavit; et M. Cornelius Cethegus ab Ennio „suaviloquenti ore" dicitur. Atque longa oratorum acies nos in Ciceronis Bruto praetergreditur, quem librum Cicero de

incremento huius artis inde ab antiquo tempore usque ad aetatem suam acute ac sagaciter conscripsit.

85. Ingens hoc phaenomenon non illustratur rebus externis: neque senatu comitiis iudiciis neque scholis rhetorum, ut Schanz[1]) putare videtur, qui alibi quoque parum subtiliter de Romanorum historia litteraria disputasse mihi quidem videtur. Concludit enim[2]): „Sonach dürfen wir nicht mit allzuhoch gespannten Erwartungen an die römischen Litteratur herantreten; sie hat keine originellen Schöpfungen ersten Ranges aufzuweisen, ihre Bedeutung ruht vielmehr darin, dass die Ideeën, welche der griechische Geist ausgeprägt hat, durch sie eine universelle Ausbreitung gefunden".

Melius et altius Teuffel[3]): „Unter den verschiedenen Gattungen der Poësie hat das Drama noch die meisten Anknüpfungspunkte im römischen *Volkscharakter.* Wie alle Italiener, hatten auch die Römer einen scharfen Blick für das *Auffallende in der äusseren Erscheinung*, die Gabe feiner Beobachtung, lebendiger Nachahmung und rascher Erwiderung. Das Improvisieren, die Neck- und Spottlieder, sowie die Form von Wechselgesprächen und Wechselgesangen sind daher in Italiën uralt".

Et alio loco[4]) de Romanorum gloria oratoria dicit: „Für Beredsamkeit waren die Römer schon von Natur wohl ausgestattet durch ihren scharfen Verstand, ihren Ordnungssin, ihre italische Lebhaftigkeit, gemässigt durch römischen Ernst. Noch günstiger war der Einfluss von Sitte und Verfassung, die Mündlichkeit aller Verhandlungen, die grosse Zahl der Anlässe wo es gut zu reden galt, zum Volke, zum Senate, zu Geschworenen oder zu Einzelrichtern, zum Heere, zu einer Trauerversammlung".

---

1) Geschichte der Römischen Litteratur² (in „Handbuch von Iwan Müller), p. 136 sqq.

2) l. c. p. 11.

3) Geschichte der Römischen Litteratur⁵, I, p. 3.

4) l. c. p. 73.

Teuffel igitur causas psychologicas quaerit. Utinam sensum tenuiorem habuisset acutioremque! Historia eius litteraria magis penitus nos in psychen Romanorum induxisset et multa facta quae nunc obscuritate tecta manent, fortasse elucidasset. Neque dubito, quin multas res quae nunc Romanis vitio dantur, e talibus psyches proprietatibus provenire ei apparuisset, quae populo nostro magno honori ac gloriae ducendae sint.

Multo accuratius atque etiam magis psychologice Aly in parvo sed lepido libello suo de ingenio Romanorum litteris se patefaciente disseruit. Ad confirmandam opinionem meam de proclivitate Romanorum in iocum ludumque necnon de naturali ad drama et artem rhetoricam aptitudine pauca verba ex illo libro describere lubet[1]: „Aber waren ihm (scil. dem Römer) auch Epos und Lyrik verschlossene Gebiete, so ist doch seine *Beanlagung für das Drama und für die Kunstrede* nicht zu verkennen. Italischer Essig war sprichwörtlich für die Neigung zu spotten und zu necken. Der Römer hatte ein *lebhaftes Gefühl für Komik und für schauspielerische Darstellung.* Die Neigung zum *Rhetorischen* warf sich, wenn sie nicht im öffentlichen Leben befriedigt wurde, auf die Bretter, die die Welt bedeuten. Wir werden demnach auf diesem Gebiete die ersten Leistungen der erwachenden Litteratur zu erwarten haben."

Verum maius quiddam latet quam res externae, quas occasionem generis litterarii alicuius exercendi praebuisse Aly nobis probare conatur. Tamquam si gloria ac fama in quadam doctrinae vel litterarum regione reportata unice a fortuna dependeat!

Quamquam veri simile esse non negamus gentem, vel externis bellis vel intestinis turbis continuo agitatam, ingenii cultum plane neglegere, tamen sententia, quae dicit, gentem semel expergefactam unice illam partem litterarum colere quam fortuna offerat, crassa ac

---

[1]) Geschichte der Römischen Litteratur, p. 11.

pinguis vocanda est. Quin gens id potissimum colat ad quod psyche tendat, ambigi nequit.

Historia litteraria Romanorum ita intellecta atque explicata nescio an psyches Romanae tenerioris vim atque gravitatem nobis aperiat, magis etiam quam lingua quaeque ad linguam pertinent. Utinam quis surgat, qui hoc opus suscipiat!

CONCLUSIO.

Psychen Romanam indagantes investigantesque vias complures ac varias percurrimus. Atque ubicumque perscrutabamur, idem huius psyches proprium esse vidimus, *quod versa est ad interna.* Probe scio in aliis libris hanc rem tractantibus identidem contrarium perhiberi: Romanas illud nescio quid amoeni ac blandi non habuisse, quod Latine dici non possit quodque Germani „Gemüt" dicant. At gentem Romanam, cum nomine careat, ideo rem quoque nesciisse argumentum non firmum est. Romanos se ad interiora versos ipsos non vidisse est cur quis contendat; sed Romanos se tales non vidisse, res toto caelo diversa ab illa est, eos tales non fuisse.

E contraria parte Romanorum animum ad interiora versum fuisse variis modis elucet.

In usurpandis metaphoris, quae nihil aliud sunt quam associationes idearum ex motibus animi ortae, uberrimi fuerunt. Praeterea illo metaphorarum genere uti solebant, quod immediate mentis fluxum patefaciat.

In lingua Latina ingens multitudo verborum modo vim activam modo vim passivam habentium praesto est. Quamvis mira haec mutatio videatur, omnes difficultates evanescunt, simulatque bene perspeximus, ista verba cum active tum passive idem exprimere, scilicet id quod Romanis in animo erat.

Translationum de sensu ad sensum Romanis usus erat audacior. At vero res clara ac perspicua saepe evadit, si facta psychologica quae synaesthesiae dicuntur, admittimus, qua re fortis ac strenua perceptionum associatio explicatur. Et vel sic res motibus animi, qui quamvis diversis variisque perceptionibus eodem plane modo afficitur, elucidatur.

Omnibus nobis tendentia psychica inest, qua modico gradu occupati esse cupimus. Et quod hunc modum excedit et quod infra manet nobis animum reflectentibus magnum aut parvum videtur. Apparet, Romanos ad activitatem suam animum saepissime reflexisse ideoque ad actus interiores versos fuisse, quandoquidem adiectivis „magnus, multus" ita frequenter utebantur.

Verba affectuum impersonalia eo ipso quod exsistunt, virum Romanum magnam vim motibus animi attribuisse testantur, quippe qui eos tamquam actus autonomos aeque ac caeli temperationes contemplaretur. Eodem autem modo quo illa haec proprietas haud immediate ex animi motibus procedit, at saltem mentem ad motus internos fortiter versos fuisse satis superque ostendit.

Denuo immediate motus animi interiectionibus prorumpunt, quae in lingua Latina multae sunt. Quae originis Latinae sunt, dolorem praesertim indicant; quae gaudium significant Latini magnam partem a Graecis mutuati sunt. Sed et illae et hae, quae ex Graeca lingua depromptae sunt, immediate motus animi exprimunt.

Ad res externas exprimendas Romanis identidem verba desunt. Multi colores nomine carent, multis floribus et quae e terra nascuntur non paucis nomina sua desiderantur. Quod argumento est, Romanos ad res externas non admodum pronos fuisse. Eo maior autem *vis* linguae Latinae erat, quae tantum subiective, in foro atque in iudiciis, *viva voce* tota se ostendere poterat. Nam si quid aliud, viva vox gestusque animi motus in lucem proferunt.

Sermonem Latinum audire non iam possumus. Ut Ciceronibus in comitio verba facientibus, Vergiliis versus coram amicis reci-

tantibus adessemus nobis non concessum est. At tamen aliquatenus lingua Latina, non nisi scriptis tradita, motus animi patefecit, ita ut etiam nunc eos animadvertamus. Parallelismum membrorum volo. Qui parallelismus sive concinnitas sive numerus est modus facta psychica subtiliora exprimendi. Itaque hanc rem affatim excoluisse Romanis honori est.

Verborum lusus celeritatem operationum saltem mentalium ostendit.

In tertia psyches regione Romani divitias opesque ingenii permagnas prae se ferunt. Multa enim de aliis homo qui illam activitatem quae „Einfühlung" dicitur adhibere solet, cognoscit. Qua in re Romani miram facilitatem adepti sunt atque res suas velut partes sui sentiebant. Quod dum multiplicibus metaphoris improprie dictis utuntur verbis exprimebant. Huc fortasse animus Romanus cum omnibus bonis suis et facultatibus optime felicissimeque se proiecit.

Semet ipsos spectando probandoque Romani superbi evaserunt, reliquum terrarum orbem contemptui habentes. „Tota terra supplex sit nomini Romano." Dominandi cupido in syntaxi linguae quasi redditur constructione hypotactica atque subiectivum illud animi usu coniunctivi patefieri videtur.

Ex facilitate status alieni assumendi aviditas irridendi iocandique necnon studium artis dramaticae et rhetoricae processerunt.

Sic Romani, et in aperiendis animi motibus et in aliorum motibus sentiendis perfecti atque absoluti, praecipuum aliquid a natura sibi datum habuisse videntur.

Quae indoles si e lingua rite a me eruta explicataque est, magni momenti esse ad plana reddenda multa alia quae ad populi nostri vitam pertinent haud immerito videtur.

Antequam denique dissertationi finem imponam, pauca haec etiam addere lubet.

Qua de re lingua Latina per totum fere imperium se extendit, nisi quod Romani cum facile ad alios se accommodarent, mentem motusque aliarum gentium accurate introspexerunt? Per linguas Romanas

linguam Latinam quasi continuari viri docti[1]) perhibent. Iure optimo dominatores orbis terrarum factos esse eos, a quibus gentes subactae lingua sua abiecta linguam prompte mutuatae sint quique insuper iuris institutiones toti ferme Europae commodaverint nemo est qui negare audeat. Nihilo minus non pauci sunt, qui haec empathiam valde explicatam indicare non videant. Quod Roma tot ac tam varias gentes absorbuit, ea colonorum Romanorum gloria perennis est. Atque res digna sane videtur quae altius indagetur.

Praeterea Empathia, quamvis modo prorsus diverso, in lucem prorupit illo tempore, de quo Porcius Licinus[2]) cecinit:

> Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
> intulit se bellicosam in Romuli gentem feram,

de quo verius Horatius[3]):

> Graecia capta ferum victorem cepit et artis
> intulit agresti Latio.

Velut fluvius ingens ingenium Graecum Romam inundavit. Mirandum in modum Romani quidquid Graecum erat, arripuerunt atque foverunt. Litterae antiquae Romano solo ortae evanuerunt tamquam nix, quam solis radii resolvunt. Quid tam gratum tamque aptum ad animos captandos alliciendosque Graecis illis litteris artibusque inerat? Non facile profecto quisquam amplitudinem cultus atque humanitatis Graecorum nimis magni aestimaverit. At tamen altera ex parte, Romanorum animi solum fecundissimum suppeditabant, ubi germina crescere et efflorescere possent. Germina autem ea erant empathiae rationes, quibus motus animi alieni sine contentione in Romanorum animum ingredi poterant. Itaque Romani ipsi se in

---

1) Cf. Nyrop, Grammaire historique de la langue française[2], I, p. 3 sq. Schwan-Behrens, Grammaire de l'ancien français, traduction française par Oscar Block, p. 3 sq.

2) Cf. Gellius, N. A. 17, 21.

3) Epist. II, 1, 156 sq.

Graecitatem immiserunt: quo factum est, ut et mores et artes denique cultus omnis Graeca evaserint. Quam conversionem praedicere potuisset quicumque psychen Romanam bene nosset: quidquid ab aliis fere contenditur, Scipio et Flaminius hoc sensu magis quam M. Porcius Cato Censorius viri vere Romani habendi sunt. Rursus cum Christiana religio mundum invaderet et guttatim e Palaestina ad extremos orbis antiqui fines permanaret, Graeci docte quidem ac sapienter de nova doctrina disseruerunt, acriter interdum de dogmate certaverunt, ingenium Graecum Christianismum critice indagavit, cum quaestiones de vita Christiana non nisi leviter attingeret.

Latini vero statim vitae rationem principiis Christianis nixam arripuerunt actionemque pacificam et meditatam levitati Graecorum opposuerunt. Ingenium Romanum aptissimum erat quod in novam illam doctrinam se iniceret penitusque insinuaret, quae conversionem morum et vitam ad exemplum Iesu institutam magis quam quaestiones disputandas postulabat. Inde magnum illud discrimen inter patres scriptoresque ecclesiasticos ex parte mundi Graeca ortos et patres Latinos. Litterae ecclesiasticae Latinae inde a Minucio Felice aut Tertulliano statim Christianismo penitus imbutae sunt, neque pedetentim, ut ita dixerim, animum Christianum induerunt. Ab ipso principio fortes sunt dignitatemque Romanam ostentant; subito apparent, sed statim iam adultae. Eadem de causa homines Romano-Catholici pro Providentiae divinae signo habent, principem Ecclesiae sedem ac domicilium constituisse in Occidente illo stabili atque in ipsa urbe magna, orbis terrarum dominatrice, cuius incolae proprietates maxime idoneas ad transitum in novas rationes sententiasque animo gerebant[1]).

Magnum populum, egregiis animi dotibus, praesertim psycha ad interiora directa, ad grandia praedestinatum!

---

[1]) Cf. Möhler, Patrologie, Introd.

THESES.

THESES.

I.

Hom. A 350: (ἕζετο)

ϑῖν' ἐφ' αλὸς πολιῆς, ὁρά ων ἐπὶ ϝοίνοπα πόντον.

Epitheton *ϝοίνοπα* motum tantum animi patefacere videtur.

II.

Hom. H 100: *ἀκλεὲς αὔτως.*

αὔτως hic locisque similibus emphatice dictum esse videtur.

III.

Plato, Apol. 19, e 4: *τούτων γὰρ ἕκαστος, ὦ ἄνδρες, οἷός τ' ἐστιν, ἰὼν εἰς ἑκάστην τῶν πόλεων τοὺς νέους, οἷς ἔξεστι τῶν ἑαυτῶν πολιτῶν προῖκα συνεῖναι ᾧ ἂν βούλωνται, τούτους πείϑουσι κ. τ. λ.*

Fortasse legendum est: *οἷός τ' ἐστι δονεῖν ἑκάστην τῶν πόλεων· τοὺς νέους κ. τ. λ.*

IV.

Xenoph. Hellen. IV. 2. 18: *ἐπεὶ δὲ οἱ μὲν Ἀθηναῖοι κατὰ Λακεδαιμονίους ἐγένοντο, αὐτοὶ δὲ τὸ δεξιὸν ἔσχον καὶ κατ' Ἀχαιοὺς ἀντετάχθησαν, εὐθὺς τά τε ἱερὰ καλὰ ἔφασαν εἶναι καὶ παρήγγειλαν παρασκευάζεσθαι ὡς μάχης ἐσομένης. καὶ πρῶτον ἀμελήσαντες τοῦ εἰς ἑκκαίδεκα βαθεῖαν παντελῶς ἐποιήσαντο τὴν φάλαγγα, κ. τ. λ.*

Legendum esse censeo: *ἀμελήσαντες τούτου.*

V.

Plut. Cic. 30: *Αὕτη γὰρ ἦν κατηγορία καὶ ἐπὶ τοῦτ' ὁ Κικέρων ἐκαλεῖτο.*

Legere propono: *καὶ περὶ τούτου ὁ Κικέρων ἐνεκαλεῖτο.*

VI.

Cebet. Tab. XXIII, 3: *τίς ἡ δύναμις τοῦ στεφάνου, ᾧ ἔφης στεφανοῦν αὐτόν;*

Propono: *αὐτήν.*

VII.

Multi loci Demosthenici tum demum perspicui evadent, si in editiones quod vulgo vocant „alinea" introducitur.

VIII.

Tac. Hist. I. 71: nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostes metueret, *conciliationis* adhibens, statim inter intimos amicos habuit.

Coniecturarum copiae meam addo quae est: *conciliationi.*

IX.

Tac. Hist. IV. 76: Civilis opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires obtererentur: Gallos quid aliud quam praedam victoribus? *et tamen*, quod roboris sit, Belgas secum palam aut voto stare.

Litteras ordinandas credo ita: *et*, *iam*, *en.*

X.

Hist. Aug. Treb. Pollionis Claudius 6. 2. Denique Scytharum diversi populi . . . . . . praedae cupiditate in Romanum solum *in rep.* venerunt atque illic pleraque vastarunt.

Corrigendum puto: *intrepidi.*

XI.

S. Iren. Haeres. III. 3. 1. Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper *ab* his qui sunt undique conservata est ea quae est ab apostolis traditio.

Scribendum censeo: *et.*

XII.

Imitationis ratio apud poëtas Latinos cum plerumque ea sit ut non se dissimulare studeat sed naturam suam ingenue profiteatur neque psychico effectu careat, compilatio appellari non debet.

XIII.

Si quisquam, Vergilius enarrationem psychologicam flagitat, quippe qui subiectivus sit suaeque mentis imagines verbis pingat.

XIV.

Aristotelem Anaxagorae *νοῦν* non materiem tenuem, sed mentem habuisse e compluribus locis patet.

XV.

Platonis dialogi quibus viis veritas ad mentem perveniat, subtiliter ostendere videntur.

XVI.

Isocratis Helen. enc., quamquam specimen oratorium ipsum se dicit, quid Isocrates de re publica sentiat aperire studet.

XVII.

Tac. Ann. XV. 44. „Igitur primum correpti qui fatebantur", ubi de persecutione sermo est, pertinere ad delatores et ipsius loci ratio et contextus necnon locus similis probare videntur.

XVIII.

„Disciplinam arcani" quae dicitur (Belgice: Wet van geheimhouding) cum catechumenorum ratione cohaerere complura S. Hilarii Pictaviensis dicta comprobant.

